4. 7. 2

DE

Confirmatione,

SIVE

Benedictione, post Baptismum, solenni, Per impositionem Manuum

EPISCOPI

CELEBRATA

COMMENTARIVS,

EX

Sententia Ecclesiæ Anglicanæ.

Authore H. HAMMOND. *S. Th. Prof.* Oxonienſi. *Huic accessit* Diatriba Præliminaris *Reverendissimi in Christo patris* Humphredi *Episcopi Sarisburiensis.*

OXONIÆ,

Excudebat *Hen. Hall* Acad. Typogr. Impensis *Ric. Royston* Lond. & *Ric. Davis.* Oxon. 1661.

PRÆFATIO.

Mores Christianorum quàm Christi instituto dissimiles. Pietatis ὑπεροχὴ, *& Charitatis, unica Christi Cura: Redemptionis, Prædicationis, Sacramentorum, Clavium, Apostolici Symboli, Catecheseos, at* ἰδίως *Confirmationis scopus.* Θεμέλιος στερεὸς 2 Tim. 2.19. *Ejus duplex* σφραγὶς. *Confirmationis institutio, debitus usus, beneficia. Consilium hujus Commentarii, duplex.*

§.1 QUod de nascente olim mundo *Epiphanius* observat, Primo illo humani generis diluculo nullas tenebrarum mixturas, * nullas hominum sectas, Nullum opinionum aut dogmatum dissidium fuisse, μόνον δὲ ἀσέβειαν, καὶ εὐσέβειαν,

* Οὐχ ἀΐρεσις, οὐ γνώμη ἑτέρα καὶ ἑτέσα, ἀλλ' ἢ μόνον ἄνθρωποι ἐκαλοῦντο. *Panar.* li. 1. *Edit. Bas.* p. 8. l. 46.

σέβειαν, *impietatem, & pietatem*, aut, quod idem plane est, ἀπιστίαν καὶ πίστιν, *infidelitatem, & fidem*, universum orbem inter se dispescuisse, (**fide quidem Christianismi Effigiem sibi insculptam, infidelitate verò impietatis & Apostasiæ Characterem* & imaginem inscriptam præferente) fallor Ego, si magis ad felicis & intaminatæ Mundi infantiæ, ætatisque illius, non poeticè, sed verè aureæ Encomium, quàm ad senescentis & degeneris sæculi, sub quo, ut sub fæce Romuli hodiè nascimur, improperium & opprobrium dictum fuerit.

*Πίστις μὲν ἐπέχουσα τοῦ χριστιανισμοῦ εἰκόνα, ἀπιστία δὲ ἐπέχουσα ἀσεβείας τὸν χαρακτῆρα καὶ παρονομίας. *Ib*

§. 2. Multò quippe felicius, si illi credamus, apud *primi* (*de terrâ terreni*, ejusque prævaricantis) *Adami* posteros, quàm inter *secundi* (*de Cælo Cælestis*, & ad restaurationem sæculi nati) discipulos, pietati & genuinæ morum probitati prospectum est. Quò certè nihil uspiam infelicissimo sæculo magis probrosum, & pudendum, nihil universæ Christi incarnati prosapiæ, ipsique ἐν παρκόσεως Consilio, & æconomiæ Contumeliosius aut dici, aut fingi potuit.

1Cor.15 47.

§. 3.

§. 3. Illud quippe divino Thesmothetæ, adeoque soteri nostro impri mis Curæ fuit, ut *redimeret nos ab omni iniquitate; & mundaret sibi populum peculiarem & acceptabilem,* * *Sectatorem* aut *æmulum bonorum operum.* Dedit ille seipsum pro nobis, non ut fæcundo, & scientiâ inflante turgido Cerebello Minerva aliqua (erudita quidem, at & pugnax proles) nasceretur, sed ut obstetricante Charitate, ex visceribus intimis, humano generi salubres prodirent Gratiæ, ut hanc *Dei Civitatem*, mundique illam, ut Castra mitissimi Agni, atque rugientis Leonis, adeò inter se latissimè, & toto Cœlo disparata, hoc unico Bonæ indolis Insigni & quasi βασιλείω, palam distinguenda & dignoscenda curaret: eodemque licèt non æquali, puritatis splendore Ecclesiam suam coruscantem redderet, quo ipsa Cœlestis Aula, *Spirituum Consummatorum* (vereque ὑλυμπονίκων) πανήγυεις, in æternnm micatura creditur.

*Ζηλωτὴν καλῶν ἔργων.

§. 4. Sic certè *Apoc.* 21. *Civitatem Sanctam, novamque*, quæ à *Deo descensura* erat, *Hierosolymam* describi videmus, *ut

*Ἑτοιμασμένην ὡς νύμφην κεκοσμημένην ἀνδρὶ αὐτῆς.

 sponsæ v. 2.

Σκηνώσει. v.3. *Πᾶν κοινὸν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος. v.27. ἐβδελυγμένοι — καὶ πορνοὶ καὶ πάντες οἱ ψευδεῖς. v. 8. Ἔξω οἱ κύνες καὶ πορνοὶ — καὶ πᾶς ὁ φιλῶν καὶ ποιῶν ψεῦδος. c. 22. 15.

sponsa marito suo parata, omnique muliebris mundi supellectile, purissimo auro, & pretiosissimis omne genus margaritis ornatissimæ, imaginem referret, verè σκήνην θεοῦ μετὰ ἀνθρώπων, *Tentorium* sanctissimi numinis, & majestaticæ præsentiæ Schecina, & plenitudo quædam, (ut Hebræi loqui amant) futura, ubi * *habitare* dignabitur *Deus*, & secundam tantum non ἐνσάρκωσιν pati, ubi cum morte & lacrymis, * impuritate omni, & hypocrisi in exilium missis, singula demum supernam, & plusquam humanam munditiem, & * novitatem sortientur.

§. 5. Hoc certè Concionum Christi Consilium unicum, augustissimæ præsertim & divinissimæ istius, quam ad naturalis & Mosaciæ Legis πλήρωσιν, & ἐπίτασιν, & αὔξησιν, *supplementum*, *extensionem*, *ampliationem*, ex altero, eoque præcelsiori monte (sinaitico quodammodo superstructo) sine tonitru, at [a] non sine *potestate*, sine astantis populi metu, at non sine * *stupore*, & vectasi habitam fuisse legimus: *Ma.* 4. Huc facta, dicta, instituta magistri nostri

* Ἰδοὺ κανὰ πάντα ποιῶ. v.5. * ὡς ἔχων ἐξουσίαν. Ma 7.29

[a] ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. v.28.

omnia

omnia palàm collimarunt, huc geminum vitæ mortisque ejus martyrium, Aquæ, sanguinisque sacramentum, ex [a] latere in Cruce confosso erumpens, & ad Ecclesiam quotidie descendens. Huc universa Ἀποστολὴ, solennis ad prædicandum & baptizandum [b] *Missio*, ut ipsi a *Patre*, sic Discipulis ab ipso facta. Huc œconomorum [c] *Claves*, quibus filios familias, seu immorigeros, seu etiam ad bonam frugem redeuntes, pro cujusque merito, flectant, temperentque fidi procuratores. Huc [d] *Militiæ* Apostolicæ *tela*, quibus strenui Summi Ducis legati subditos protegant, hostes verò Contumaces fundant & debellent, & πᾶσαν νόησιν, universam lapsi Adami prosapiam ad obsequium Christi Captivam ducant, unice collineant, & diriguntur.

[a] Joh. 19. 34.
[b] Joh. 20. 21.
[c] Mat. 16. 19.
2 Cor. 10. 14.
Mar. 16. 15.

§. 6. Huc omnia (post triumphalem magistri exitum) Consilia, Cœtus, peragrationes, ministeria Apostolorum spectant; præ omnibus verò selecta Fidei Capita, paucula quidem ea, sed ad ingenerandos bonos mores imprimis idonea, & efficacia; [d] *salubrium verborum formula* (inquit *Paulus*) Ecclesiis singulis, contra

ὑγιαινόντων λόγων τύπωσιν.
2 Tim. 1. 13.

quoſcunque animæ morbos, concreditum antidotum, & παντάρμακον: quod unum * *ad omnis impietatis depulſionem, & ad pietatis Evangelicæ Stabilitionem* aut *conſtitutionem* abunde *ſufficere Magnus* pronuntiavit *Athanaſius.* * Hâc quippe unâ armaturâ expugnari mundum, hoc ſolius Catecheſeos exorciſmo exulare dæmones, nec aliis contra omnem Satanæ ictum amuletis indigere, quàm quæ ex hac auſpicatiſſimâ pyxide promi rectiſſimè dixeris. Idem igitur apud antiquos *Catechiſtæ*, & *Exorciſtæ* Munus, & miniſterium fuit; nec, ſine inſigni aliquo dementiæ, & ἀλογίας mixturâ Gentilium impietatibus inhærere putabantur, qui ſub hác ſacro-ſanctâ formâ, Chriſtianorum fidem fuerint amplexati.

* Ἡ ἱερὰ τῶν πατέρων, κατὰ τὰς θείας γραφὰς ὁμολογη θεῖσα πίστις αὐτάρκης ἐστὶ πρὸς ἀναρπὴν μὲν πασῆς ἀσεβείας, σύστασιν δὲ εὐσεβείας ἐν χριστῷ. Epiſt. ad Epict. T. 1. p. 582.

Sect. 7. Unicum adjicio, ſed illud Celeberrimum, & quod rem omnem (quam per has præfandi ambages moliti ſumus) ad præſens noſtrum inſtitutum aperte deducat, a *Confirmationis* venerando, in Eccleſia, ritu, quatenus ille a *baptiſmo* late differt, petendum Exemplum. De hac ſemel dixérim, poſt [b] Fidem ipſam

sam ἅπαξ παραδοθεῖσαν,* geminaque Novi fæderis à Christo ipso instituta, & omnibus districtè mandata sacramenta, nihil esse, quod ad perenne ejusdem Christi, aut duraturum obsequium, ad sinceram & ἀμεταμέλητον Evangelicæ legis obedientiam fortius obliget, Nihil, à cujus diligenti & prudenti administratione, auctiores Reipublicæ Christianæ fruges sperari possent, Nihil denique, cui aut neglecto, aut pro formâ & ex opere ut ajunt, operato, λειτουργουμένῳ majora & pernitiosiora pietatis dispendia imputanda videntur. Ad hunc enim præcipuè finem, ritum istum antiquitùs institutum, & celebratum esse, tùm ut observantia Christo debita firmius sponderetur, & hâc quasi arrhâ, & σφραγίδι obsignaretur, tùm ut uberiore Sanctificantis spiritus rivo in fideles & illuminatos cælitus evocato, ab eô intimè prolui, & inungi, & ad novitatem vitæ roborari possent.

Sect. 8. Huc etiam *Paulus* ipse respexisse videtur, cùm adversus omnes Gnosticorum κακοζηλίαι & βδελύγματα, ipsiusque futuræ resurrectionis abnegationem, *Ignita* quidem illa *Nequissimi tela*, hoc unum

*Judæ.

Conf. Epist. Ad Hebr. 1 & 2.

9. Conf. Ad Hebr. ap. 12. p.

num *Fidei ſcutum* opponat. 2 *Tim.* 2.19. Ὁ μὲντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ θεοῦ ἕστηκεν, ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην, Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ, καί· ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ. Ad θεμέλιον quod attinet, viro Doctiſſimo Sam: Petito lubens aſſentior, vocem ad modum Hebrææ עקר πολύσημον eſſe, & cùm alibi *fundamentum* denotet, hic, & 1 *Tim.* 6.19. Pro συνθήκη *pacto*, aut *Chirographo* ſumendam eſſe, (ſicut & מסד quæ aliquando θεμέλιος, *Iſ.* 30.1. συνθήκη redditur) adeoque ad *fœdus* aut pactum Chriſti, illud Dei cum hominibus contrahentis Inſtrumentum reſpicere, cujus στερεότης, ſolida & immutabilis *firmitas*, ex ipſo, quod ei appenditur, *ſignaculo*, aut σφραγῖδι judicanda eſt: Signaculi verò hujus gemina facies, duplex Epigraphe, Ex unâ parte, divini promiſſi, aut Fœderis Icona impreſſam videas, *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*] Fideles ſcilicet ſervos Deus nunquam non agniturus, tutaturus & remuneraturus eſt, nullo non gratiarum ſpiritus ſui imbre perfuſurus; Ex alterâ Officii Noſtri imago exertè, ſed ſummatim, & ἐν τύπῳ inſcribitur, [*Omnis qui nominat*

minat nomen Domini ab iniquitate procul discedat] Quisquis salutem ab Evangelico Fœdere quærit, Quisquis Christo Nomen dedit, Obsequium despondit, Mercedem a tanto brabeutâ & agonothetâ expectat, sciat se severâ, & indispensabili lege teneri, ut improbitati, impuritati, impietati omni nuntium remittat, vitam [a] *piè, sobriè, justè* instituat, se ab omni [b] *Voluntario* peccato, [c] a quocunque, aut *Carnis, aut Spiritus, inquinamento mundandum* sollicitè curet, *perficiens sanctificationem in timore Domini*, Deo constanter, & [d] ἐυαρέστως *serviens cum metu, & reverentiâ.*

[a] Tit. 12.
[b] He. 10. 26.
[c] 2 Cor. 7. 1.
[d] Heb. 12. 28.

Sect. 9. Ab hâc σφραγίδος & σημείου στερεοῦ καὶ ἑστῶτος, *Sigilli, pactique solidi, & stabilis* mentione, hic παῤῥησίᾳ facta, nolim persuadere mihi *Confirmationis, Obsignationis*, apud *Latinos*, σφραγῖδος, apud *Græcos*, nomina adeo lucidè desumpta esse, & huic imposita, ut aliunde hauriri omninò sit impossibile, sicut nec *inunctionis* aut *Chrismatis* a phrasi istâ, quâ verè *Christianus* dignoscendus proponitur, ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα χριστοῦ, *Unctio* aut *Christi* (pro quo

quo malè vulgatus [*Domini*] reposuit, pro Χῦ, Κῦ legens) *nomen nominans.*] Illud unicum contendo, quod nemo, uti spero, diffitebitur, clarissimam Antiquissimi Ritus Effigiem (non tâm fronti signandam, quàm ipsis cordium tabulis inscribendam) si alibi non extaret, ab hoc uno sigillo non incommodè peti posse. Ad hæc enim duo *Confirmationem* institutam ab initio fuisse, extra dubium pono, 1. ut nuper baptizati (quos fratrum & fidelium titulo Ecclesia semper dignata est) per Episcopi preces, Charitate, aliisque Spiritus Sancti donis aucti (quibus, ceu charagmate per cauterium inusto, servos suos dignoscendos voluit Christus) de cœtero, spes bonas nutriant, pro certo habentes Deum, suos, seu famulos, seu discipulos efficaciter agniturum, solido & paterno amore amplexurum, nec unquam, nisi prius deseratur, deserturum; idque non obscurè testari sigilli chirographo divino affixi Epigraphen, ex superiore parte, *Cognovit Deus qui sunt ejus.* 2. Ut professio, & abrenunciatio semel in baptismo facta, non jam, ut in infantiâ per sponsores,

ſponſores, ſed ore proprio Novitii iterata; Deo, Angelis, Epiſcopo, & frequenti cætu, inſpectantibus & conteſtantibus, hoc tam ſacroſancto & verendo ritu ſolenniter firmaretur, nec jam temerè, aut impunè violari poſſe putaretur, quod tantâ cum pompâ & Cæremoniâ ratum & fixum fuit: Illud quaſi de cælo clarè buccinante, & tonante Σφραγίδος facie alterâ, *Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Chriſti.*

Sect. 10. Hæc certè, ſi, quàm ſanctè & prudenter in Eccleſiâ Chriſti (ſeu per Apoſtolos ipſos, ſeu, ad eorum Exemplar, per Apoſtolicos viros, ipſorum Cathedræ & poteſtatis ſucceſſores) ordinata ſunt, tàm piè & reverenter, & conſtanter à Prælatis adhiberentur, aliis inſuper, loco et ordine ſuo, *Militiæ* Eccleſiaſticæ *telis*, in ſubſidium, quotieſcunque res poſtulaverit, vocatis; ſi in infantiâ baptizati, ſtatimq; ubi adoleverint, Catecheſi, & dilucidâ voti baptiſmalis & Univerſæ Fidei capitum explicatione imbuti, ad Epiſcopum demum ἐν ὑπεροχῇ poſitum, nec honore magis, quàm morum ſanctitate omnibus prælucentem a ſingularum Parochiarum Rectoribus adducendi curarentur, manuque; & benedictione ejus, ut & monitis, & interminatione paternis, ad ſolennem ὁμολογί-

ας

ας & ὑποταγῆς βεβαίωσιν, *professionis* & *abrenunciationis confirmationem* admitterentur, sub his tantum auspiciis ad mensam Domini aspirare permissi; depellendi insuper, & potestate *clavium* ligandi, & privilegiis discipulorum interdicendi, & abstinendi, quoties [a] *præoccupati in delicto aliquo deprehenderentur*, aut *voluntariæ* [b] prævaricationis rei peragerentur, sola genuinæ & solidæ resipiscentiæ tabulâ ab hujuscemodi Naufragio redimendi, aut eripiendi; si, inquam, hâc non tetricâ, sed severâ lege, nec ad inanem, & præfulgidam pompam, sed ad solennem, & statam cum nequitiis pugnam, comparatâ, in Christi Castris mereri, & proficere consueseremus Christiani, vix dici, aut concipi potest, quàm uberem & felicem messem ex hâc semente, & Culturâ, qualem Contra Carnem & Satanam victoriam, quæ trophæa ab his *militiæ* Apostolicæ *telis non carnalibus* & infirmis, sed *potentibus Deo* & πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων apprimè idoneis, expectari fas esset, cùm spretis jamdiu his politiæ nostræ ὠφελείας, & aut universim in desuetudinem abeuntibus, aut ad inanem tantùm pietatis ὡρτωσιν compositis, & in meram tandem operis, ut ajunt, operati umbram degenerantibus aut (quod adhuc pejus) ad lucrum, & avaritiam (ut [a] spalatensis queritur)

a Gal. 6. 1.

b Heb. 10. 26

a *De Rep. Eccle. l. v. c. 12. n. 24.*

ritur) converſis, Eccleſiam hodie in Eccleſiâ, ſervos in familiâ Dei, Dicipulos Chriſti inter Chriſtianos, fruſtra requiramus, nec quicquam pium aut ſanctum, præter Umbram & Nomen, inter candidatos Pietatis, reperiamus.

Sect. 11. Ut ex hoc profundo animarum torpore Evigilet aliquando Chriſtianus Orbis, ut a tenebris pluſquam Cimmeriis aut Ægyptiis, ad aliquem Crepuſculi ſaltem, ſi non lucis gradum aſpiret, viſum eſt his pauculis ſupinum & ſomnolentum Sæculum inquietare; & in hunc finem, Sacrum *Confirmationis* ritum, Eccleſiæ Antiquæ ſatis Cognitum, ut ut in modernâ, contemtui habitum, adeoque aut in aerem, aut in umbram abeuntem, tandemque à *Doctiſſimo Dallæo* inter meras baptiſmi Cæremonias numerari juſſum, hoc breviculo Commẽtario, ſi non in integrum vindicare, ſaltem ex cineribus, quibus opprimi, & ſepeliri videtur, ſuſcitare & ἀναζωπυρῆν, aliiſque, quorum intereſt, præferre facem, aut viam aperire, ut cujus adeò damnoſum, & lugendũ neglectum experimur, ab eo ad genuinos uſus evocato, pari gradu felices ſucceſſus, & res lætas invicem ſortiamur.

Sect. 12. At & præter hos inſignes & planè divinos Confirmationis Uſus aliud eſt (ut id obiter notem) non infimi Ordinis beneficium, ad

Eccleſiæ

Ecclesiæ Concordiam, & pacem imprimis spectans, quo scilicet *Anabaptistis*, & *Antipædobaptistis*, fatalibus, & Epidemiis Occidentis nostri (nec hujus tantum sæculi) pestibus, Zizaniis quidem illis, quæ in Agro Reformationis juratissimus Pacis, puritatis, & antiquitatis hostis seminanda curavit, ora in omne ævum obstruantur. Nec enim vel minimâ Argumenti Umbrâ supresse, quâ adversus Infantium tinctionẽ, aut pro baptismi sẽel adhibiti iteratione, contra perpetuũ Ecclesiæ dogma, & praxim novatores mi. litent, quæ non hoc uno *confirmationis* Ritu, in subsidiũ Baptismi institutus (si, quemadmodũ ad quævis Lavacri σφάλματα redimenda, aut defectus supplendos opportunè paratur, sic à Pastoribus Ecclesiæ legitimè, & diligenter fuerit adhibita) tanquam Clypeo, aut potius panopliâ repelli possit. Id semel, & εἰσαρίστως; paucis notasse, Cordato Lectori satis erit.

Sect. 13. Det Deus, ut quæ sunt Pacis & sobrietatis, quæ non ad lites seminandas, sed sopiendas, nec ad κατάιρεσιν, sed οἰκοδομὴν apprimè conducunt, sollicitè, & gnavitèr curemus omnes, nec per *novitatem* dogmatum, sed morum, ad *Hierosolymam supernam* & *Novam*, ad [b] *Manna* Apoc. 2. 17 *absconditum*, *Calculum candidum*, eique inscriptum *nomen novum*, tandemque ad vere Olympium ἀγῶνιον ἄθλον, *immarcescibilem Coronam*, Cæleste bravium aspiremus.

DE CONFIRMATIONE,

Sive Benedictione post Baptismum solenni, per Impositionem Manuum Episcopi celebratâ.

CAPUT PRIMUM.

Brevicula Defensio Authoris, Johanni Dallæo, & Samueli Maresio, oppositа.

SECT. I.

Dallæi Disputatio de Confirmatione, Loci duo ex Hilario Sardo. Hammondi Commation unicum in Dissertationibus contra Da: Blondellam in jus vocatum. Rei gestæ Historia.

IOhannes *Dallæus*, vir Doctissimus, in *Disputationis*, quam *de duobus ex unctione Latinorum Sacramentis nuper edidit*, parte primâ, de *Confirmatione L.* II. Cap. 18. Cum Græcorum *Chrismationem* à Latinorum *Confirmatione* sollicitè di- P. 218.

ſtinguendam curaſſet, eo fretus argumento, quod hæc unctio apud *Græcos a Preſbytero & nunc miniſtratur, & ſemper olim miniſtrata ſit*, Cum *Latinorum Chriſmationem non ab alio, quã ab Epiſcopo conferri fas ſit*, Miſſis tribus primis Chriſtianorum ſæculis, ex quibus oſtendiſſe ſe putat, haſce *Officii ſacerdotalis partes nuſquam ita diſpertitas, ut Preſbytero cũ Baptizare licuerit, conſignare non liceret, ac ne veſtigiũ quidẽ hujuſmodi diſcriminis apud ullam Eccleſiæ partem poſſe deprehendi*; Miſſis itidem *Firmiliani* ſupra ab ipſo deſcriptis verbis, quibus eum in genere affirmantem ſuggerit, *Majores natu* (id eſt, ait ille, *Preſbyteros*) *nullo habito Epiſcopum inter & Preſbyterum diſcrimine, Baptizandi, & manum imponendi poſſidere poteſtatem*; Miſſo etiam *Eliberitanæ Synodi Canone*, ex quo ſe ſupra demonſtraſſe Commemorat. *Latinos ipſos Preſbyteros manum impoſuiſſe Baptizatis, nedum ut eos Chriſmare non potuiſſe putemus.* Miſſis denique (id eſt) leviter tactis) *Græcis, quos etiam poſt Sylveſtri tempora* (id eſt, *poſt an: D.* 335.) *Eundem uſum conſtanter tenuiſſe, clarum* eſſe pronunciat: Tandem ſe, poſt tot velitationes, ad prælium accingit, ad *diſertum eâ de re hominis Latini, & quidem vetuſtiſſimi, teſtimonium* provocans, Scriptoris ſcilicet *Commentariorum in Paulum, qui Ambroſii quidem nomine circumfertur, veriſimilius tamen Hilarius Eccleſiæ Romanæ Diaconus eſſe putatur.* Hic enim cum ab an: Dom:

Dom: 354. Florere cæperit, facile potuit ad *Damasi*, sub quo ipse se testatur scribere, ætatem pervenire. De *Ecclesiâ* certe *Alexandrinâ*, P. 220. Nobilissimo illo Græcanicæ membro, hæc habet Author ille, quisquis tandem sit, *Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, ubi præsens non sit Episcopus. Idem quoque* (inquit Dallæus) *testatur Scriptor ille Quæst. in vet. & Nov. Test. sive is sit supra nominatus in Paulum Commentator (quod placet Aurelio) sive alius, In Alexandriâ* (inquit) *& per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.*]

§. 2. In iftis dum versatur Dallæus, commemorare voluit, quod nuper attentaverit *Vir Doctus ex Angliâ Hen: Hammond de jure Episcopat. Diss.* III. P. 162. *Ubi duobus viris summis Salmasio & Blondello ἀζηλίαν exprobravit, ipse fidenter asseverans Consignationis (apud Ambrosiastrum) vocabulo solam Eucharistiæ Consecrationem significari, idque ex alterius de Quæstionibus Scriptoris loco satis constare dictitans.*]

§. 3. Sic quidem *Dallæus*. Ego, licet Curis iftis jam diu sepositis; nullum, post lustrum alterum, a Blondelli aut Salmasii manibus, placide quiescentibus, aut periculum metuens, aut inimicitias expectans, ad aliam palæstram me, nec invitum, trahi passus fuerim, in quâ fortunæ Reformatæ Angliæ magis magisque indies videbantur positæ, quam primum tamen me, sic inopinato, at articulate, a viro Doctissimo in are-

nam evocatum animadverterem, nolui quidem aut detrectare pugnam, aut ad eam tardus accedere videri, sed quicquid esset, seu mihi, seu Dallæo veritas faveret, dum ille *Consecrationis* vocem ad *Consignationem*, Ego è contra *consignationis* potius ad *consecrationem* trahendam contenderem (uterque pro indubitato supponens *Hilarium* hunc geminis locis *unum idemque* affirmasse) candide & breviter experiri, paucissimis interim rem omnem ab initio resumendam & exordiendam existimans, quo faciliori compendio interveniat æquus Lector, deque hâc Causa sententiam ferat.

§. 4. Ante annos octo mihi cum Doctissimo *D. Blondello*, & *Salmasio*, de *Episcopatûs juribus*, res fuit. Inter alia vero, Duo erant quæ *D. Blondellus*, in suâ, *pro sententiâ Hieronymi, de Episcopis & Presbyteris*, *Apologiâ*, Causæ suæ imprimis favere censuit, ex viri non ita Magni Nominis, *Hilarii* (ut putat) *Sardi*, hujus, de quo nunc lis est, Scriptis, sub *Ambrosii* & *Chrisostomi* Larvâ fallentibus, desumpta. Hic certe, si *Hilarius* sit (nec enim de Umbræ nomine cuiquam litem movebo) in *Commentario in Epistolas Paulinas*, & ad *Eph.* IV. Post alia multa, Centunculi in modum, consarcinata, concluserit, verbis a *Dallæo* allatis [*Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si presens non sit Episcopus*] ut & in alio opere, *Quæstionum scilicet in vetus & novum Testamentum*, *Quæst.* 101. Cum in

in iisdem esset, hanc antedictorum rationem subjungit [*Nam in Alexandriâ & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, Consecrat Presbyter.*] His geminis locis ad partes suas vocatis, ex priori sic infert *Blondellus*, *Ergo eadem (naturâ suâ) utrorumque* [*Episcoporum scilicet & Presbyterorum*] *potestas est, sive enim Consignationis nomine Baptizatorum Confirmationem, sive Pœnitentium (impositione manuum signatam) benedictionem, sive ordinandorum consecrationem denotari velis, eodem res recidit: Ad totum scil: Presbyterium (qualiscunque illa sit) jure Divino pertinet.* Ex posteriori autem sic, *Samaritanos Petrus & Johannes (si Hilarii Nostri ductum sequamur) quia Sacerdotes & qua Sacerdotes Confirmarunt, passimque per Ægyptum absentibus Episcopis Presbyteri consecraverunt, Quod sive de Eucharistiæ confectione, sive de Chrismatione de ordinationibus sacris, interpretari placet, perinde est.*] P. 57. *Sollicitius.*

§. 5. Ego cum adversus eum & Alios, Episcoporum jura vindicanda susciperem, non nisi ad Scripturas, & Primævam Antiquitatem, de quibus præcipue cum adversariis lis erat, provocandum duxi, nec certe, aut ad *Ambrosium*, aut *Chrysostomum*, multo minus ad *Sardum*, nullius in Ecclesiâ Dei, aut nominis aut æstimationis homuncionem, Diaconum quippe Larvatum, Disputationis filum deducendum putavi. Interim ὃν παρόντα, & aliud plane agens, cum de Eu-

chariſtiâ, Tertulliani ævo, non niſi de *Præſidentium*, id eſt, Epiſcoporum *manu* ſumendâ ſermo incidiſſet, ut & de dandi Baptiſmum jure, quod habuit *ſummus ſacerdos*, *dein Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi Authoritate*, poſteriorem Pſeudambroſii locum (non quod poſt tot, & tanta *Apoſtolicorum* Canonum, *Ignatii*, *Juſtini*, *Concilii Laodiceni*, *Tertulliano* ὁμοψήφων, nomina, iſtis ſuppetiis opus eſſet, ſed tantum ut cumulum angerem) Coronidis loco adjeci, ex eo concludi ratus, per omnia Primævæ Antiquitatis Sæcula Euchariſtiæ Conſecrandæ authoritatem nemini, præterquam *Epiſcopo*, Canonice competiiſſe, dein vero *Presbyteris*, *quibus Epiſcopus eam largitus ſit.* At & iſtis (ne quid diffitear) minus contentus, ex hoc inſuper Teſtimonio *Blondelli & Salmaſii* ἀκριβίαν obiter perſtringendam duxi, quod in altero hujus Authoris loco, ab utroque laudato, de *Presbyteris apud Ægyptum*, *ſi præſens non ſit Epiſcopus*, *Conſignantibus*, aut *Confirmationem Baptiſatorum*, *aut Pœnitentium benedictionem*, *aut ordinandorum Conſecrationem hac Obſignandi* voce denotari affirmarent, quam ex antedicto loco ad ſolam *Euchariſtiæ* Conſecrationem pertinere arbitrabar, adjiciens [*illud ſatis conſtare.*]

§. 6. Quid in hoc Commate minus ad rei ἀκρίβειαν limatum ſit, quantum, aut potius quantillum λυπήρα φαινόμενα recudendum monuerint, & quam plane nihil ex

eo

eo aut *Blondelli de Ordinatione*, aut *Dallei de Confirmatione* hypotheſi accreſcat, mox fuſius monſtraturus ſum: ſufficiat interim, ut ab his Carceribus ordiatur concertatio noſtra, ſeu potius Defenſio mea, quam viro Doctiſſimo & Contribulis ſui exiſtimationis Studioſiſſimo, & de me, ſi cum *altero* illo Presbyteranæ cauſæ aſſertore conferatur, optime merito, debere me ſentio:

SECT. II.

Digreſſio de Mareſii intempeſtivâ bile. Illi quid regerendum. De Antichriſto. Sitne inter futuri Chriſti adventus Prodromos expectandus. Epiſcopi Wigornienſis ſententia de Paſtorum ambitione.

§. 1. ALter is eſt *Samuel Mareſius*, *Profeſſor Groningenſis*, nemini, credo, inauditus, qui Dallæum ipſum, libro integro, ſatis acriter invaſit, nec umbris parcendum ratus, πρὸς σκιὰν Blondello, inter alia nonnulla, etiam de *deſertâ contra D. Hammondum ſuâ ipſius cauſâ pro ſententiâ Hieronymi de Presbyteris diem dixit.* *Mareſ. irenic. part. 1. pag. 70.*

§. 2. Hic ergo Magnus, poſt denatum *Blondelum*, Presbyterianorum Athleta, ſeu μεγιστὸς

μιος איש הבנים (τὸν δύνατον αὐτῶν vertunt LXXII, גברא מביני הון *Chaldæus*) cum nuper ex fervore magni animi, *Hierarchiam* nostram, totam (si novo Aruspici, sic ex extis hariolanti, credimus) *labascentem* pro virili prosternere, ipsosque Reverendi *Præsulis Wigorniensis*, *Doctoris Prydeaux*, cineres debellare statueret, nihil antiquius habuit, quam ut *Hammondum* una in Triumphi & Prædæ partem duceret.

Exam. Theol.

§. 3. Hunc in Disputationis suæ limine, pro tribunali sistendum curat, & dicto citius, furiosum pronunciat, ligat, flagrisque, ut bonum Presbyterum decuit, proscindit [*Eo*, inquit, *furoris Hic Hammond processit, ut causam Papæ ex professo propugnet, eumque neget esse Anti-Christum, aut illi convenire vaticinium Pauli quod extat.* 11. *Thes.* 2.

§. 4. Huic certe tam diræ sententiæ nihil erat (coactus, sed & lubens fateor) quod ego miser opponerem, nihil quod Lictori meo contra-mutirem aut hiscerem, nihil quod (non tam pugili, sed Triumphatori) regerendum putarem, præter illud *Pythagoræ*, πῦρ σιδήρῳ μὴ καλέυειν, geminos quippe furores nullatenus esse committendos. Suadente itidem Θεοφόρῳ Martyre, *Ignatio*, Hierarchicorum Patrono, τοὺς παροξυσμοὺς ἐμβροχαῖς πάυειν.

§. 5. Huic ergo tam consulto & tempestivo Monitori obsecundandum decrevi, ac quoniam, quæ sint illa *molliora tempora fandi*, si quando

Maresio

Maresio accidunt, plane ignoravi, visum est mihi, mollissimo ei silentio litare, & præ omnibus ambitiosorum fascinis, Novatorum lenociniis, Apostolicum illud imprimis meditari, & intimo pectore haurire, & fovere, φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν. 1. Thes. 4. 11.

§. 6. Fieri tamen potest (spero certe) ut tandem post biennii integri moram Professoris bilis paulum deferbuerit. Quâ in re, si falsus non sum, non diffido me illi paucis persuasurum, qui Papam nunquam nominaverit, illum nondum *causam* ejus *ex professo* propugnasse, nec certe omnes, qui Papicolas argumentis, malunt, quam convitiis, superare, statim ad Anticyras relegandos, aut helleboro proluendos esse.

§. 7. At summum esse hoc piaculum clamitat *Maresius*, ei tamẽ, ut & universo Hierarchicorum veneno *paratum antidotum, divino plane consilio; E contrario enim Dn: Prideauxium ex professo disputare, præter Papam, ante ultimum Christi adventum non esse expectandum alium Antichristum, idque non sine justo Dei Judicio evenisse, ut scil, duo Hierarchicæ Turris vindices inter se committerentur.*

§. 8. Verum, dic sodes, Mi *Maresi*, quis eam oculis tuis obduxit nebulam, ut qui de *Pauli* synchronis, Pauli verba intelligenda putavit, is de *Ultimi* adhuc futuri ejus Adventus prodromis ea intellexisse tibi videretur? Certe si, cum μυστήριον ἀνομίας ἤδη, sub Apostoli ævo, ἐνεργούμενον, ut & *Antichristi* definitionem, quod sit ὁ ἀρνούμενος τὸν

1 *Joh.* 11. 22. *Ibid. v.* 18.

τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, & alia multa τῆς ἰσχάτης ἡμέρας indicia ſeu γνωρίσματα, imprimis vero illud, ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν Ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, de *Simone* (ſi ipſi credamus) *ſummo Deo* (ſi *Patribus*) *Satanæ primogenito*, de ſpurciſſimis ejus Aſſeclis ψευδωνύμοις *Gnoſticis* interpretanda duxerim; ſi, inquam, hæc omnia eo modo prius interpretatus, poſt mutato quaſi conſilio, meique plane diſſimilis, ac παρεγχειρίζων, eadem ante *ultimum* & adhuc *futurum* Chriſti adventum expectanda docerem, ſi *Judæos* de *Eliâ* ſuo ſomniantes Evigilare juberem, & pro *Eliâ Simonem* præſtolari, Eſſet cur Jra Profeſſoris etiam vehementius in me inſurgeret, eſſet cur me in amentiam & inſaniam uſque prolapſum clamaret, eſſet denique cur me cum *Reverendo Præſule Committi*, idque (quia Hierophantæ noſtro ſic placuit) ex *juſto Dei judicio* contigiſſe agnoſcerem.

§. 9. Verum non ſunt hæc mea, ſed Mareſii viſa, qui errore non diſſimili, affixum ad nomen *Papæ Acroſtichum.* [*Paſtorum Ambitio Peperit Antichriſtum*] ex præliminari *Reverendi Præſulis* Epiſtola allatum, *in totius eauſæ ejus præjudicium trahendum* putavit, ſatis quidem, ἀτόπως. Siquidem, tametſi Acroſtichon hoc vel de cælo lapſum daremus, atque ob id ſummam ei fidem deberi, nulla tamen cogit neceſſitas, ut quod Author ejus de *Paſtoribus* prophetavit, de *Præſulibus* intelligatur: Præſertim cum quod in *depictâ tabulâ ſe puerum vidiſſe* narrat Præſul, ipſe jam ſenex,

ſenex,& ad Tribunal Chriſti ſtatim ſiſtendus,non de aliis, quã *Mareſianis Paſtoribus* (*Presbyteri* ni fallor,ſunt hi) interpretandum duxiſſet. De illis nempe, ante omnes mortales, verbis immediate ſubjectis (ſi ea vidiſſet, aut nos videre voluiſſet *Mareſius*) pronunciavit ὁ Μάγιστ, *Dominari volunt, nemo ut oportet obtemperare; ſic ut tandem fiat, hoc non gladio Oriũ, ſed Ore Gladii decidendum Problema, An ſuprematus Papalis habeatur potius Antichriſtianus, quàm Preſbyterialis & enthuſiaſticus.*] *Ep. Ded. ad Faſcicul. controv. 21.*

§. 10. Miminerit, obſecro, Problema illud *Hammondi* non eſſe, qui ut nullos in *Pauli Epiſtolis Presbyteros* ſecundarios inveniſſe ſe profitetur, ſic in hodierno ipſorum conſiſtorio *Antichriſtum* Paulo σύγχρονον non potuit quæſiviſſe. Sed accidere illud viris doctis & bonis, ut quos vehementius averſantur, iis peſſima quæque ominentur. Quod ſupereſt,valeat bonus Profeſſor,& ab homine furioſo ſibi mentem bonam,& optima quæque voveri patiatur, nec aliud fervidioribus monitis ſuis reſponſum expectet.

SECT. III.

SECT. III.

Concessio Dallæi quàm opportune Hammondo subvenerit. Oppositio prima Dallæi. Responsio nostra. Non omnia vidit Blondellus, imo nec Dallæus. Locus Firmiliani de Episcopis ad Presbyteros detortus. Eucharistiæ consecratio Presbyteris, nisi absente Episcopo, olim non competebat. Testimonia Canonis Apostolici, Ignatii, Canonis Laodiceni, Justini, Tertulliani, Firmiliani, Paciani, Hieronymi, Dallæi. Blondelli concessio, Labyrintus, Consignationis vox ambigua. Mendæ in Sardi Commentario.

§. 1. VErum *Dallæo*, verendo seni, alia victima, nec ea plane ἀδύνατος, paranda est: Nec certe aut *Blondello*, aut *Salmasio*, aut cuivis mortalium tantillam injuriam feciſſe me patior, paratus, si quid eraſſe me comperio, veniam deprecari, eamque in gratiam, commation integrum, cum viro optimo (breviter, si id fieri posset) ad in cudem revocare.

§. 2. Et certe cum omnia periculatius libraverim, me vix, aut ne vix quidem, a lapsu aliquo liberandum deprehendi, nisi idem, qui me lapsum monuit, *Dallæus* sublevasset. De *consecratione* non est quod quicquam immutem, aut recudam, de *Consignatione* certe aliter me sentire faterer, nisi *Dallæus*, cujâ id maxime interest, lubenter concederet, id *sane verum esse* (si illi credimus)

dimus) quod a me ponebatur, eandem esse utriusque loci rationem, nam *& rem, & verborum germanitatem id satis docere, & eundem esse utriusque loci scriptorem, multa suadere.*

Quod cum nec postulanti mihi *Doctissimus* Monitor Meus, tam pronus largiatur, non diffido me ipsi persuasurum, & ex ipsâ *Blondelli* sententiâ, & suâ, recte & irrefragabiliter procedere, quicquid isto Dissertationum Commate contra *Blondellum*, proposui: Si enim quod de *Presbytero Consecrante* dixit *Sardus*, revera de *Eucharistiæ* confectione intelligendum sit, nihilque, ipsis fatentibus, per *Consignationem Sardus* voluerit, quod non idem vocabulo consecrandi intellexerat, non aliis causa mea suppetiis indigebit, quam quas ipsi mihi Adversarii opportune, & liberaliter largiti sunt.

§. 3. Hæc statim fusius monstraturus sum, singula interim, quo ille proposuit ordine, distinctius prosecuturus.

§. 4. Et primo hoc sibi *mirabile* videri affirmat, *quod rem, quæ, si isti Theologo crediturus sit, satis constat, constare tamen non viderint, non modo Salmasius & Blondellus, Nostrorum Eruditissimi, sed etiam Sirmondus & P. Aurelius, Adversariorum fere Coryphæi.*

§. 5. At Respondeo, Primo, (omissis *Sirmondo* & *Aurelio*, quibuscum nullum mihi negotium erat, & Oratione ad *Blondellum*, & *Salmasium*, quibuscum universa Res mea agebatur, conver-

sa)

ſa) illud equidem nimis *conſtare*, non omnia ſeu vidiſſe, ſeu agnoviſſe viros illos, licet vere perſpicaciſſimos. Multa quippe eos ſedulo conquiſiviſſe, & coacervaſſe, quæ ὑποθέσεις ſuæ quovis modo prodeſſe, infinita celaſſe, vel omiſiſſe, quæ officere videbantur. Horum non exiguos manipulos, ſed meſſem integram *Diſſertationes iſtæ de Epiſcopatus Juribus, contra* eorum *ſententiam* lucubratæ lectoribus æquis propoſuerunt, nec eſt quod hic ſpicæ ſublegantur.

§. 6. Imo nec *Dallæus* ipſe, licet oculatiſſimus, in iis quæ alibi *Blondello* addidit, & in hoc ipſo capite nobis recudit, id quod cuivis attento facile conſtaret, perſpexiſſe videtur. Cum enim *Firmiliani* locum de Hæreticis baptizantibus (ut dictum eſt) proponat, *præſidere in Eccleſiâ Majores Natu affirmantis*, qui & *baptizandi & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem*, & per *Majores Natu*, *non ſolos Epiſcopos, ſed unà cum iis Presbyteros proprie ſic dictos intelligi* jubeat, palam eſt de *Epiſcopis ſolis* locutum eſſe *Firmilianum*. Sic enim poſt paucula ſequitur in ea ipſa epiſtola, *niſi ſi his Epiſcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus* (vides *Epiſcopos* diſerte nunc dici, quos modo *majores natu* nuncupaverat) *ut hi quidem poſſint per ſolam manus impoſitionem venientibus hæreticis dare Spiritum Sanctum.*] Et iterum, *Nos etiam illos, quos hi, qui prius in Eccleſiâ Catholica Epiſcopi fuerunt, & poſtmodum ſibi poteſtatem Clericæ Ordinationis aſſumentes baptiza-*

P. 154.

Inter Cypr. Ep. 75.

P. 155. & pag. 218.

baptizaverant, pro non baptizatis habendos judicavimus.] Id fusius monstrari posset, nisi res ipsa, & universa Epistolæ series loqueretur.

§. 7. *Secundo* etiam respondeo, nedum illud prodigii esse si, qui ad illa singula, quarum auxilio interpretationem nostram concinnavimus, animum non adverterint, illi ea omnia non perspexerint, quæ aliis quibusque, perspicillis istis uti dignantibus redduntur perspectissima. Nos certe locum istum de *Presbytero consignante* ambiguum & obscurum, ex alio ejusdem Authoris luculento, & (si *Dallæo* ipsi credamus) plane cognato, ubi diserte *consecratio* reposita est, explicandum censuimus; simulque praxim antiquam *Alexandrinam* aut *Ægyptiacam*, de Presbyteris, non nisi cum *deesset Episcopus Eucharistiam consecrantibus*, *Ambrosiastro* nostro memoratam, & sive ex Canone vetusto, seu tantum ex more istius Ecclesiæ obtinentem, Ex *Canonibus* totius Ecclesiæ antiquissimis, primorumque Patrum dictis huc pertinentibus, imo ex synchronis, & ætatem Authoris hujus (quisquis ille fuit, seu *Hilarius Diaconus*, seu quis alius, circa medium sæculi quarti; paulo ante *Damasi* Episcopatum) proxime attingentibus, dilucidare conati sumus.

§. 8. Nempe ex *Canone* imprimis Apostolicorum XL, omnia Episcopis concredente, sic ut nihil omnino ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου ἐπιτελεῖν *sine Episcopi sententiâ facere* Presbyteris liceat. Concinente plane *Ignatio*, Ep. ad *Smyrnenses*. Μηδὲν χωρὶς

χωρὶς ἐπισκόπου πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν, *Nemo sine Episcopo quicquam eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent, faciat.* Ut & *Laodiceno Canone* LVI. (An. Chr. CCCLXIV, tribus tantum ante *Damasi* Papatum annis, cui *Ambrosiastrum* Noſtrum ὁμιλίας rectè ſtatuit *Blondellus*) τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου *Presbyteri nihil agant ſine ſententiâ Epiſcopi.* Dein ex eodem *Ignatio* de *Euchariſtiâ* diſerte decernente, ad eoſdem *Smyrnenſes*, ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω ἡ ὑπὸ Ἐπισκόπου οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. *Illa firma Euchariſtia exiſtimetur,* quæ vel ab *Epiſcopo ſit, vel ab eo cui ab Epiſcopo commiſſa eſt.* Et, οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου οὔτε προσφέρειν, ἀλλ' ὅλαν ἑκείνην δοκεῖν, ἵνα ᾖ σφαλὲς ἢ μᾶ βέβαιον &c. *Non licet ſine Epiſcopo offerre, ſed* cum illi *videatur, ut tuta & firma ſit* &c. *Juſtino* itidem *Martyre*, ſub finem ſæculi ſecundi, & *Tertulliano*, ſub initium Tertii, idem affirmantibus, *Non de aliorum* (ait hic de Cor. Mil.) *quam de præſidentium* manu (προεστώτων, ait ille, *Apol.* 2.) *Euchariſtiam ſumimus* (quos alibi *ſummos ſacerdotes*, & *Epiſcopos* dici ſatis certum eſt.) Quibus illud *Firmiliani* modo prolatum, ſatis concinit, *in Eccleſiâ præſidere Majores Natu* (hoc eſt, ut oſtendimus, *Epiſcopos*) & *baptizandi, & manum imponendi* & *Ordinandi poteſtatem poſſidere.* Cui & par illud *Paciani* eſt: *Ser: de Bapt: Lavacro peccata purgantur, Chriſmate Spiritus ſuper-*

ſuperfunditur, utraque vero iſta manu & ore Antiſtitis impetramus. Quibus & illud *Hieronomi* addi poteſt, qui licet eminentem & exortem *Epiſcopi* poteſtatem non *Chriſto* ſed hominibus imputet, eam tamen ita *Epiſcopis* dari affirmat (*adverſus Lucifer:*) *ut ſine Chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque Preſbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi.*

§. 9. Placet hic ipſum de Temporibus, ex quibus prælatus Presbyteris Epiſcopus, fatentem audire: *Obtinuit*, inquit, *ut non Chriſmare, non baptizare, non pœnitentem reconciliare, ne uſitatiſſima quidem & infima ordinis ſui Miniſteria, ſi ad eſſet Epiſcopus, invadere vel attingere, niſi eo imperante, annuente, auderent Presbyteri.*] Rectiſſime quidem, modo advertiſſet ab *Apoſtolicorum* Canone, ab ipſius *Ignatii* ævo, hoc argumentum ſimulque κεφάλαιον non inane aut fallax, quod *Epiſcoporum* prærogativam ſtabiliat, eoſque *Presbyteris* quibuſcunque longo intervallo anteceſſiſſe teſtetur, nobis deſcendiſſe.

§. 10. Hæc cum ita ſe habeant, ſimulque omnibus in Confeſſo ſit, *Conſecrandi* vocem de *Euchariſtiæ* confectione ſolenniter omni ævo Uſurpatam eſſe; quis quæſumus dubitandi locus ſupereſt, quin hæc *Ambroſiaſtri* ſententia, quæ *conſecrationem* diſerte nominat, de *Euchariſtiâ* intelligi poſſet, quam nondum in *Ægypto*, ſi huic Authori credamus, *conficiebat Presbyter*, niſi aut *abfuerit* aut *defuerit Epiſcopus.*

§. 11. *Blondellum* hic ipsum audiamus, Cujus hæc verba sunt. *Passim per Ægyptum absentibus Episcopis Presbyteri consecravere, quod sive de Eucharistiæ Confectione, sive de Chrismatione, sive de Ordinationibus sacris interpretari placeat, perinde est.*]

§. 12. Nos igitur, ne longi simus, de tribus unum eligimus, & quandoquidem ipse affirmaverit, quodcunque horum placuerit, *perinde esse*, bonâ cum veniâ Doctissimi viri, quia maxime placuit, Consecrationem ibi loci de *Confectione Eucharistiæ* Exponendam esse diximus. Quod si nobis poscentibus (si non nostri, saltem *Blondelli* Clientis sui gratiâ) largiturus sit *Dallæus*, necesse erit in eandem nobiscum sententiam festinet, de altero *Ambrosiastri* hujus loco, [*Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus*] eumque de *Confectione Eucharistiæ* interpretandum statuat. Illud quippe a Vir Doctissimus, ut præmonui, libenter agnoscit, *Eandem utriusque loci rationem esse, & consecrationem unius, alterius consignationem esse.*] Nullum sane hic (si quid video) effugium patet, nisi illud quod candidè, & liberaliter, sed ut causæ suæ prodesset, largitus est *Blondellus* [*Consecrationem* scil. *pro Eucharistiæ Confectione accipi posse*] ex ejusdem denuò Causæ necessitatibus retractetur, & plane negetur. Quod si fiat, agnoscet æquus Arbiter hoc esse, si quid aliud, ὑποθέσει δουλεύειν.

a *Dall. de confirm.* p. 220.

§. 13. Illud interim, *Tertiò*, observatu non in-

indignum accidit, in quam inextricabilem *Salmaſius* & *Blondellus*, ſuarum partium ſtudio, Labyrinthum inciderint; incerti plane, & addubitantes, an de *Confirmatione baptizatorum*, an de *Pœnitentium benedictione*, an de *Ordinandorum conſecratione*, *Conſignatio Sardi* intelligenda ſit; Illud quippe pronum eſſe, ut qui a vero aberraverint, in varias ſemitas & ſententias diſſecentur. Quibus & illud adjiciendum eſt, ex ſententiâ *Dallæi*, inter *Baptiſmi* ritus *Conſignationem* ponendam eſſe. Quâ in re ſi Calculum rectè poſuerit, ſequetur etiam ex mente ejus *Conſecrationem Baptiſmi* ritum eſſe, quo quidem poſito, quis quæſumus eam *Presbytero* abjudicaturus eſt?

§. 14. Mihi interim nihil promptius viſum eſt, quam vel vocem ſatis ambiguam (ipſis ſatentibus, qui, tribus propoſitis ſententiis, quæ demum præferenda eſt, non ſtatuerunt) a notiori, & magis vulgari [*Conſecrationis*] (idque ex ipſorum ſuffragio) explicandam eſſe, vel levi demum Librariorum mendâ (quales huic Commentario non infrequentes ſubeſſe a *Aurelius* notavit, nec refragatur *Doctiſſimus* b *Dallæus*) *conſignant*] hoc in loco, pro [*Conſecrant*] in illo repoſitam eſſe.

a *Ait ille* (Aurel.) *hoc opus præter innumeras mendas &c. Dall. de Confirm.* p. 221.

b *De mendis fruſtra huic invidiam facit Aurelius. Vix enim quicquam Patrum à mendis immunis eſt. Dall. Ibid.*

SECT. IV.

Secundæ Dallæi oppositioni respondetur. Consecrandi vox quam generalis, Consignandi specialis.

§. 1. AT inquit Vir Doctissimus, *Consecrandi vocem generalem esse & maximi ambitus, tam de personis, quam de rebus dictam (Hammondo, ut putat, non negante) consignare angustius esse, nec, quod meminerit, de Eucharistiæ Consecratione, simpliciter ut hoc loco, usurpatam.*]

§. 2. At respondeo, 1. Nec *Consecrandi vocem ita generalem* esse, nec *Consignandi Angustam*, ut quicquam exinde *Blondello* & *Salmasio*, Clientibus ipsius lucrari possit *Dallæus*. Nec enim *consecrationem* apud idoneos Authores pro *Confirmatione* aut *pœnitentium Benedictione* Usurpatam inveniri, nec *Consignationem* de *Ordinationibus*, de quibus *Hammondo* cum *Blondello* præcipualis erat, dici constat: ut interim de *pœnitentium Benedictione* nihil dicamus, quibus nec *Consecratio*, nec *Consignatio* competit.

§. 3. Et certe si *Hammondus Novus Interpres* audiat, qui, cum *mendam* subesse credat, ideoque Exemplo non indigeat, Exemplum Nullum attulit in quo *consignare* diceretur Episcopus, dum *Eucharistiam celebraret*; Cur non æque, imo magis

gis *Novus Dallæus*, qui Exemplum, cum opus esset, æque non adduxit, in quo *consecrare simpliciter* dicatur, vel qui, *baptizatos confirmat*, vel qui *pœnitentibus* manuum impositione benedicit?

§. 4. At & eadem hæc recoquit, & fidentius prosequitur. Vir *Doctissimus*, & *cum sit eadem utriusque loci ratio*, & *unius Consecratio alterius sit consignatio, omnino potius & verius videri* statuit, *ut id quod generalius est, ex eo interpretemur quod est specialius & magis proprium, quam contra, & consecrare de obsignatione intelligamus, quam obsignationem de eucharistiæ confectione, cum Consignationem quidem Consecrationem & esse & dici omnes confiteantur, Eucharistiæ Confectionem dici simpliciter Consignationem, nemo*, ut opinatur, *audiverit.*

§. 5. At itidem respondeo 1. *Consignandi* vocem non esse *specialiorem* aut *magis propriam*, quam sit *Consecrationis*: Nec vero hic Argumentis opus esse, ipsis quippe *Blondello* & *Salmasio* lubenter fatentibus, qui *Consignationem* & *Confirmationi* & *Pœnitentium* benedictioni & *Ordinandorum* Consecrationi *Communem* (hoc non est, *propriam*) posuerunt, Cum tamen *Consecratio* (de *Confectione* Eucharistiæ & *Ordinatione* frequenter usurpata) non ita late pateat, nec dum enim (ut dictum est,) exemplum attulit Vir Doctissimus, in quo de *Confirmatione*, aut pœnitentium benedictione usurpetur.

§. 6. At 11. Si *Consecrari* Neophyti dici pos-

sent, cum vel *Chrismate* vel impositione manuum perficiebantur, (quod Causæ suæ prodesse credit (*Dallæus*) quid quæsumus prohibet, quo minus, qui pari in Eucharistiâ signum Crucis, æque ac Catechumenorum fronti in baptismo impressérint, æque itidem, & pari vocis proprietate, *Consignare* dicantur? At Nos (ut dictum est, & mox etiam fusius demonstrabitur) istis auxiliis non indigemus.

§. 7. Obiter hic notari potest, pro *Consignatione*, quæ procliviori *Mendâ* à *Consecratione* degenerare potuit, & frequenter, (ut *Dallæo* placet,) de Baptismi Cæremoniâ usurpatur, *Obsignationem* à viro Doctissimo substitui, (quæ de ἐπισφραγισμῷ in *Confirmatione* ubique usurpatur) quo jure ipse viderit, nec tamen quicquam ei exinde lucri accrevit, nihilo enim probabilius redditur *Consecrationem* simpliciter usurpatam, de *Obsignatione* aut *Confirmatione* intelligendam esse.

SECT. V.

SECT. V.

Tertia Dallæi Oppositio. De Eucharistiæ per Presbyteros confectione sub Damasi ævo. Libertas Ægypto peculiaris quænam fuerit? Conclusio hujus litis.

§. 1. SUpereſt ut alteri tandem rationi, *ex rebus*, inquit, *ipſis, ſcil: Ex eo quod Ægypto peculiaris ſit mos ille, petitæ* reſpondeamus: ſic enim *Dallæus* [*ejus Author non modo concedit, ſed ipſe diſerte ponit Presbyteralem Conſignandi, abſente Epiſcopo libertatem hic ut rem Commemorari Ægypto peculiarem. At* (inquit) *poteſtas Eucharistiam, abſente Epiſcopo, conſecrandi Presbyterorum in quibuſvis Orbis Chriſtiani Provinciis, etiam Romæ & in toto Occidente Communis; Neque* (inquit) *puto ullum Chriſtianiſmi vel Tempus, vel Clima monſtrari poſſe, quo Presbytero non licuerit, extra Epiſcopi præſentiam, Eucharistiam rectè conficere.*]

§. 2. At ex antedictis conſtat, Canone præſertim *Laodiceno*, *Ambroſiaſtro* recentiore, & *Damaſo* plane συγχρόνῳ; Univerſam Eccleſiæ Adminiſtrationem adhuc penes *Epiſcopos* manſiſſe, nec quicquam feciſſe *Presbyteros ἀνυπεύθυνους*, *ſine* eorum *juſſu* & *mandato*, nec dum enim Morem illum *Juſtini*, & *Tertulliani* ævo celebrem, exoleviſſe, aut *de aliorum Eucharistiam*, *quam de*

Præsidentis, *aut Episcopi manu*, aut ex jussu ejus, rite *i. e. Canonicè* & *ordinariò* sumi consueviſſe; Universæ, rogo, Ecclesiæ Codicis Canones Vir Doctissimus consulat, & percurrat, nec quicquam inveniet, quod opponat. Si igitur aut ex Canone aliquo *Alexandrino*, aut ex more saltem per *Ægyptum* universam obtinente, vel defuncto, vel *absente Episcopo*, sine ullâ γνώμης ejus significatione, Eucharistiam Presbyteri, ex authoritate ordini Presbyterali adjunctâ, liberè consecrabant, nil obstat, quin hujus libertatis, ut *Ægypto* peculiaris, nec tamen, nisi *cùm deesset Episcopus*, ad *Presbyteros* Canonicè pertinentis, *Ambrosiaster* Noster opportunè mentionem faceret.

§. 3. Videt Jam Doctissimus *Dallæus*, quibus argumentis stabiliri sententiam suam sentiat *Hammondus*, nec adhuc desperet tritissimam voculæ satis notæ expositionem, *Consecrationis* scil. per *Eucharistiæ Confectionem* explicatæ, non ita novam & inauditam æquis arbitris censeri posse: simulque ex eâ, si non meo, saltem ipsius *Dallæi* calculo, Consignationis Vocem metiendam esse; ni forte proclivi, & facili librariorum errore, hæc pro illâ substituatur, & utrobique [*Consecrat* & *Consecrant*] non [*Consignant*] reponenda sit.

CAP. II.

CAP. II.

Alia quædam præliminaria de Blondello, & Dallæo.

SECT. I.

Presbyteralis Ordinationis Exemplum in Colutho & Ischyrâ, Blondelli hypothesi oppositum. Alexandrina synodus Κοινὴ, *Sardi honori faventior Hammondus, quàm Blondellus. De Sardi Commentariis paucula.*

§. 1. DE Commate integro, prout in *Dissertationibus* propositum est, hæc paucula dicta sunto. Cæterùm quia hac in re ἀσλεψίαν duobus viris summis *Blondello*, & *Salmasio exprobrari* (si notasse tantũ idque leniter, sit exprobrasse) adeo mirandum optimo *Dallæo* videtur, simulque ex his *Ambrosiastri* verbis ab ipso novum petitur argumentum, quo sub *Consignationis* titulo *Confirmationem* (ut & *Ordinationem Blondellus* & *Salmasius*) *Presbyteris*, non *Episcopis* solis competere, lectoribus persuadeat; Duo hæc in gratiam Eruditissimi Viri, ex abundanti adjicere haud gravabor, alterum quod *Blondellum* & *Salmasium* Clientes, alterum quod ipsum tam nobilis paris Advocatum ἰσότιμον respiciat.

§. 2.

§. 2. Et primò, cum *Blondellus* & *Salmasius*, qui ut Episcoporum προστασίαν labefactarent, ex hoc *Ambrosiastri* loco causæ suæ suffulciendæ tibicinem aptarunt, in hoc plane consenserint, *eodem rem recidere*, a *sive Consignatione baptizatorum Confirmationem, sive pænitentium benedictionem, sive Ordinandorum Consecrationem denotari velis, eam tamen, qualiscunque sit, seu Ordinatio, seu Confirmatio, seu benedictio, ad Presbyteros jure divino pertinere:* Annon eo ipso satis testantur se Notissimæ illius, apud b *Athanasium* aliosque, *Coluthi* & *Ischyræ* Historiæ, quam uterque satis clare vidit, *Blondellus* c alibi satis late descripsit, eâque *Patrum saltem Canoni derogatum* esse agnoscit, aut parum memores, aut de illa nequaquam sollicitos fuisse: Cum in hac ipsa *Ægypti* primaria metropoli *Alexandriâ*, Coluthus (non ut in altero *Athanasii* loco *Parisiensis* editio bis, & *Latinus* Interpres P. *Nannius* semel legit, Καθόλικος *Catholicus quidam*) *Presbyter Presbyteros* ordinans, & sic (si *Blondello* credamus) *consignans*, graves quidem, at non immeritas temeritatis hujus pænas dederit, Καὶ πᾶσα χοὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος, καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ καταστάθεντες ἐν τῷ σχίσματι λαικοὶ γεγόνασι, καὶ οὕτως συνάγονται, *Omnis ejus actus rescissus est, omnes ab eo ordinati in schismate ad Laicorum Classem redacti, & ut Laici ad synaxim admissi?* Quâ in re non fidentius *Hammondus* ipse pronuntiasset, eam *satis constare*] δῆλον enim inquit *Athanasius* καὶ οὐδένι καθέστηκεν ἀμφί-

a *Blondel. Apol.* p. 57. *Salm. Appar. ad lib. de Prim.*

b *Tom.* 1. 732.

c *Apol. pro Hieron.* p. 168.

ἀμφίβολον, *Manifestum*, & *nemo de eâ re dubitandum putavit.*

§. 3. Sic & de *Ischyrâ a alibi*, λέγει ἑαυτὸν εἶναι Πρεσβύτερον, ὃς οὐκ ἔστι Πρεσβύτερος, *se Presbyterum jactat, cùm Presbyter non sit*, ὑπὸ γὰρ Κολύθου (fæde iterum ut dixi, Καθολικοῦ, *Parisiensis* Editio legit) τοῦ Πρεσβυτέρου φαντασθέντος Ἐπισκοπὴν, καὶ ὕστερον ὑπὸ κοινῆς Συνόδου Ὁσίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἐπισκόπων, κελευσθέντος πρεσβυτέρου εἶναι) καθὸ καὶ πρότερον ἦν κατεστάθη, καὶ κατὰ ἀκολουθίαν πάντες οἱ ὑπὸ (Καθολικοῦ iterum) Κολύθου καταστάθεντες ἀνέδραμον εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, εἰς ὃν καὶ πρότερον ἦσαν, ὡς καὶ αὐτὸς Ἰσχύρας λαικὸς ὤφθη. *A Colutho enim Presbytero ordinatus est se Episcopum fingente, & post in communi Synodo Hosii & Episcoporum cum eo, ad Presbyteratum redire jusso, & ex consequenti omnes à Colutho ordinati ad locum, in quo prius fuerant recurrebant, & ita Ischyras Laicis annumerabatur.* p.764.D,

§. 4. Quid clarius? In hac ipsa *Alexandrina Synodo* (quam κοινὴν, non *generalem* ut *Nannius* reddidit, sed totius *Ægypti communem*, dixit *Athanasius*) *An.Ch.* CCCXIX. paucis (triginta circiter) ante *Hilarium Sardum Ambrosiastrum* nostrum annis celebrata, solennitèr statutum est, *Prebytero Presbyterum*, *Colutho Ischyram* ordinare non licere, (adeoque non *consignare*, sumptâ *consignandi* voce, eo quo vult *Blondellus* significatu) ipso etiam *Colutho*, ob hoc ipsum, quod sibi jus istud assumserit, φαντασθῆναι τὴν

ἐπισκοπὴν

Ἐπισκοπὴν, *imaginarium*, non verum *Episcopatum* assumsisse pronuntiato. Adeò sollicitè *Ægyptiorum*, de quibus *Sardus* loquitur, Ecclesia *Episcoporum πανόμια*, & exortem dignitatem sæculo isto tutabatur, incredibilem planè & plus quàm mythicam μεταμόρφωσιν, aut μεταχαρακτηρισμὸν passa, si nullo lethæo aut venenato poculo absorpto, intra XXX annorum spatium sic universam immutatam credamus, ut id jam impune (si non cum mercede) sub *Sardo* liceat, quod sic ἀπλῶς sub *Hosio* multabatur. Vidit hæc, inquam, & ad commoda sua quàm potuit suaviter inflectenda alibi curavit, *Blondellus*, facto *Colluthi Patrum Canones violatos* lubenter agnoscens, at nullo pœnitentiæ aculeo, aut stimulo tangitur, quòd hanc *Universam Ægyptum Presbyterii* omnibus licentiam ipsum indulserit, cujus à *Colutho*, & *Ischyrâ* pœnas satis inclementes exigi non gravatur. Hæc si aut non perspexit, aut inter se, ratione temporum & locorum habitâ, componere, & conciliare nescivit *Blondellus*, quomodò ἀσυλλογίαν vitabit? Si quod ipse probè noverat, maluerit nos non videre, malo patrocinio causa non bona peior fiet.

§. 5. Quicquid contrà afferatur, palam est *Blondellianum Ambrosiastri* interpretamentum *Alexandrinæ* (addè etiam *Universalis Ecclesiæ*) praxi, & decretis adversari, ideoque melius *Hilario* huic consuluisse *Hammondum*, qui si fortè

fortè minus commodè, nec plane ex mente ipsius, voculam [*Confignant*] interpretatus est, id certè curavit, ut qui eâ usus est, cum *Universâ* Christi Ecclesiâ sensisse putaretur. Nec enim opus fuit, ut qui *Pelagianæ* hæreseos ab *Aurelio*, *Luciferiani* schismatis etiam ab ipso *Blondello*, *Dallæo*, adque adeò ab omnibus insimulatur, idem *Aeriani* quoque dogmatis reus *i. e. Presbyterianæ impietatis* assertor putaretur, præsertim cùm a eodem loci, *Episcopum Sacerdotum Principem*, & *Apostolos Episcopos* esse nobis satis liberaliter largitus sit. Et si quædam nec nobis nec reformatis *Gallis* grata futura miscuerit, scil. in *populo inter initia* (*nascente Ecclesiâ*) *omnibus concessum esse, & Evangelizare & Baptizare, & Scripturas in Ecclesiâ explanare, nunc* (ipsius ævo) *neque Diaconos Prædicare &c.* Æquum tamen erit, & Charitati *optimæ* quæque *speranti* congruum, ut nec de malis peiora, nec de pejoribus pessima quæque suspicemur.

a *In Eph.* IV.

§. 6. Relegat interim Vir Doctissimus (si non nimis displiceat) quæ per sesqui-alteram paginam ex hoc *Ambrosiastro* laudavit & descripsit (simulque prolixo ornavit Commentario) *Blondellus*, & ex animo respondeat, an hic demum *Hilarius Sardus*, *Ecclesiæ Romanæ Diaconus*, *Orbis Deucaleon* (natus & Jronicè) ab *Hieronymo* nuncupatus, *Luciferiani Schismatis strenuus*, advocatus, qui *Græcorum*, ut videtur, rituum, æquè

æquè ac linguæ ignarus, de *Alexandrinæ* Eccleſiæ praxi pronuntiavit, qui *Centones* & *Stromata*, ſic ſibi, ſic aliis omnibus difformia, nullis antiquorum aut ὁμολόγων teſtimoniis fretus, undiq; conquiſierit, ſtatuminandæ Univerſæ Politiæ Eccleſiaſticæ ſatis idoneum firmamentum cenſeri debeat, ad cujus ideam, Normamq; ipſi *Alexandrinæ Eccleſiæ*, de quâ pronuntiat, Canones (ex quibus ipſis *Presbyteralem* Ordinationem ἄκυρον, & planè nullam, omnéſq; qui ſic ordinati ad Laicorum Communionem denuò redactos, ſupra docuimus) reformandi ſunt.

§. 7. De *Blondello* hactenus, cujus cauſæ interfuit, ut *Conſignatio Ordinandorum Conſecrationem* ſignificaret, eaq; ex hujus tam antiqui, ſub medium quarti ſæculi ſcriptoris Authoritate, *Presbyteris* competeret.

SECT. II.

SECT. II.

Dallæi Sententia proponitur, & per partes examinatur. Vox Sacramenti latè ſumpta de quolibet ſacro ritu. De Confirmatione quid ſenſerit Eccleſia Anglicana ſub Henrico VIIIvo. Unctio ſine Confirmatione, Chriſmatis uſus in Baptiſmo apud Græcos,(a) Damaſcenum, Oecumenium, Simeonem, Harmenopulum, Baſilium. Apud Latinos, Hieronymum, Gregorium, Tertullianum, Honorium Auguſtodunenſem: Ritus Eccleſiaſticus & mutabilis. Ejuſdem Symboli multiplex uſus. Impoſitio manuum in Confirmatione, a Chriſmate in Baptiſmo diſtinguitur. Confirmatio per ſolam χειροθεσίαν, ſine Unctione. Rituum διαφορία. Pacis cura.

(a) *Authorem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.*

§. 1. AD *Dallæum* quod attinet, Ille quidem his paucis lineolis rem ſuam omnem concluſiſſe, & ex voto confeciſſe ſibi videtur, I. *Conſecrandi vocem generalem, & maximi ambitûs eſſe ſtatuit, quæ tam de perſonis, quàm de rebus* dicitur, quo poſito, deinde aſſumit *Conſecrari ſatis idoneè dici poſſe Neophytos,* cùm vel *Chriſmate* vel *manuum impoſitione* perficiebantur. P. 220. II. Cùm *eadem ſit utrinſq; Sardiani loci ratio, & unius conſecratio alterius ſit conſignatio, conſignationem* etiam de eâdem *Chriſmatione* P. 221.

tione intelligendam esse, adeoque *Chrismationis*, & *Manuum impositionis* potestatem, ex suffragio *Sardi*, & aliorum Complurium, pænes *Presbyteros* fuisse autumat. III. *Chrismationem* hanc, & *manuum* impositionem meram baptismatis Cæremoniam semper habitam fuisse docet, & proinde sequi, *Confirmationis*, quem dicimus, ritum, licet hodiernæ ecclesiæ notissimum, prioribus tamen & purioribus sæculis planè inauditum, sequiorum Latinorum a *figmentum* esse, qui *Sacramentorum* numero à binario ad septenarium aucto, non-nisi somnia pro Sacramentis nobis venditarunt.

p. 224. *et sequent.*

a *Vestrum illud Episcopalis Confirmationes figmentum. de Cons.* p. 200.

§. 2. De hac universâ Doctissimi viri sententiâ, præcipuè quidem contra *Bellarminum*, & *Aurelium*, cæterosque *Papalis* Hierarchiæ propugnatores institutâ, in multis tamen *Prælaticæ* seu Episcopalis dignitatis assertores ex æquo premente, adeoque contra *Reformatam* (necdum deformatam) *Angliam* nostram, reliquosque Primævæ Antiquitatis, & puritatis, & simplicitatis indefessos asseclas, aut vindices, qui *Episcopalem* προεδρίαν, contra Presbyteranam ἰσοσαθμίαν, tutandam duximus, & inter ritus *Apostolicos*, aut Ecclesiasticos, licèt non inter *Sacramenta* à Christo instituta, *Confirmationem Episcopalem* numerare consuevimus, militante, quid nobis visum sit, paucis docebimus. Id autem rectius facturi videmur, si (omissis iis, quæ modo attigimus, de *Sardo*, de *Consecrandi*, & *Consignandi*,

di vocibus, *&c.)* rem ipsam aggrediamur, & in limine nonnulla distinguamus ambigua, alia explicemus obscura, ita enim fiet, ut res omnis verborum involucris dolisque, quibus imponi incautis solet nudata; clariùs tum conspiciatur, tum dijudicetur.

§. 3. Et primò, quod ad vocem *Sacramenti* attinet, eam aliquando *Latè*, aliquandò *strictè* apud *Latinos* usurpari notum est: *Latiori* significatu, quilibet *sacer*, præsertim *Symbolicus* Ritus, *Sacramentum* non incommode dici potest. Sic a *Cypriano* dicuntur *utroque Sacramento nascì, qui præter manus impositionem ad accipiendum Spiritum, Ecclesiæ etiam Baptismum acceperunt.* Sic in b *Synodo Carthaginensi*, *neque Spiritus sine Aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu*, (ait Nemesianus a Thubunis Episcopus) *Male ergo*, inquit, *sibi quidam interpretantur, ut dicant quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur; Cum manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesiâ Catholicâ.* Utrobique palam est *Sacramenti* vocem latè sumptam, æquè *manus impositioni*, ac *Baptismo* accommodari. Nec desunt ejusdem Locutionis Exempla apud antiquos.

a Ep. 72. p. 103.

b Inter opera Cypriani, Pamel. edit. p. 230.

§. 4. Nos verò qui *Sacramenti* voce stricte sumptâ, non quoslibet Novi fœderis ritus, sed paucos & primarios, eosque a *Christo* ipso exertè institutos, & omnibus universim ad salutem, ex necessitate *præcepti*, si non & *medii*,

propositos, intelligi volumus, nullam hic cum *Dallæo* litem nectimus, sed binario *Sacramentorum* numero contenti, septenarium aut ὀγδοάδα jubemus; aut *Ecclesiæ Romanæ*, *Novorum* ut dogmatum, ita *Sacramentorum* feracissimæ matri lubentes relinquimus: Sit modo in Ecclesiæ albo censuque, & *Apostolorum* seu præcepto, seu saltem praxi Originem suam imputet *Confirmatio*; de aliis molesti, aut solliciti non erimus.

§ 5. Libet hic commemorare quæ in *Ecclesiâ* nostrâ sub *Henrico* VIII. ante factam doctrinarum, quam dicimus, reformationem, in libro An. Chri. MDXLIII. Ex jussu *Regiæ Majestatis* edito, cujus titulus est, *Necessaria Doctrina & Eruditio* &c. Hâc in re definita sunt. A Scripturis ordiuntur, ubi Apostoli, nascente "Ecclesiâ, quamvis indubitanter crederent "baptizatos omnes eo Sacramento perfecte re- "generatos esse, perfecte Corpori ejus insitos, "plenariam peccatorum remissionem accepisse, "donisque & gratiis Sancti Spiritus imbutos "esse, Baptizatos tamen post acceptum lava- "crum revisisse reperiuntur quorum precibus "& manuum impositione, *Spiritus Sanctus* do- "nari, & conferri legitur. *Linguis* enim *loque- "bantur, & prophetabant*, Quibus omnibus non "solum ipsi, qui tam miris donis splendebant, "in fide Christi magis stabiliebantur, & ad ma- "jorem Confessionis Constantiam proficiebant,

"sed

" sed & ipsi infideles, à Christo adhuc procul " positi, facilius ad fidem, & Evangelium am- " plectendum trahebantur.

§. 6. Ab his initiis *Confirmationis* Ritus ad " Ecclesiam pervenit, cujus, Primævi Patres, " sumpta hinc occasione, & in hâc Apostolorum " praxi facto fundamento, reputantes insuper " quam sit illud pronum & facile, in Baptismo " regeneratos, Spirituque donatos, tentationibus, " infirmitatibus, imo peccatis & malitiâ sua pro- " ditos, ab eo excidere; hunc semper morem ob- " servandum duxerunt, (sicut per omnes Seculo- " rum successiones celebratum videmus) ut Chri- " stiani omnes post acceptum lavacrum ad *Epis-* " *copos* adducerentur, nempe ut Oratione, & " manuum impositione, & Sancti *Chrismatis* " consignatione *Confirmarentur*, i. e. eas a Spi- " ritu Sancto Gratias impetrarent, quibus freti, " in donis & beneficiis Baptismo collatis, fir- " miores & constantiores persisterent, ne ab iis " leviter resilirent, aut exciderent, sed ad ma- " jorem, & magis athleticam ἕξιν provecti, " non solum fidem Christo desponsatam contra " omnes Persecutionum minas inconcussi pro- " fiterentur, sed & contra hostes Spirituales, " Mundum, Satanam, Carnemque acrius mili- " tarent, sublatâ alacriter Christi Cruce, tribu- " lationes, & afflictiones hujus vitæ fortiter " tolerarent, & denique largiores, & locupletio- " res Spiritus Sancti virtutes & gratias a Christo " reciperent.

§. 7. Nec igitur *Sacramentum* hoc *Confirmationis* (nomine, ut diximus, late accepto) à quo- « vis contemni debere, ſed in infantiâ Baptizatos « liberos (ſive à Paſtoribus, ſive a Parentibus) « ad *Epiſcopum* adducendos, & offerendos eſſe, « ut manus ejus impoſitione, hoc Confirma- « tionis Sacramentum reciperent. Nec tamen « eam de neceſſitate Infantes Confirmandi opi- « nionem ita fovendam eſſe, quaſi Baptizati, & « in infantiâ, & innocentiâ, ante acceptam *Con-* « *firmationem* denati, aut a ſalutis, aut vitæ « Æternæ per receptum Baptiſmum, certitudine « exciderent.

§. 8. Hæc certe ſic a majoribus noſtris accepta, & ab *Henrico* VIII. adverſus *Lutherum* defenſa, & vindicata, *Reformatio* noſtra (ſolâ *Sacramenti* voce omiſſâ, quam nos ſtrictiori acceptione, ad ea ſola quæ a *Chriſto*, ut omnibus neceſſaria inſtituta ſunt, accommodandam cenſuimus: & *Chriſmatis* Uſu, inter Cæremonias libere inductas, libere itidem omittendas, habito) integra, & nullâ ex parte mutilata, ad nos deduxit; nec quicquam aut de *Origine*, aut *fundamento*, illâ *Eccleſiaſticâ*, hoc *Apoſtolico*, nedum de uſu, & beneficiis hujus Ritus immutandum exiſtimavimus.

§. 9. *Secundo* & illud prænonendum eſt, nexum inter *Chriſmationem*, & *Confirmationem* (fuerit licet inter eas alicubi nonnullus) non ita tamen perpetuum, & indiſſolubilem fuiſſe, ut

rectè aut Confirmari dicendi sint, quicunque liniuntur; aut liniri, quicunque Confirmantur. Fuit certe suus in Baptismo (ut & in aliis nonnullis Ecclesiæ ritibus) *Unguenti*, & *Chrismatis* Usus, fuit & sine *Chrismate Confirmatio*, solâ manus impositione peracta.

§. 10. De *Priori* loquatur, inter *Græcos*, præcipue *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* Author, Κεφ Β. καὶ τελείως ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον, ὅδε τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τοὺς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι πανσώμως παραδοῦς, &c. *Post trinam Catechumeni Professionem fidei factam, antequam ad aquam ducatur, vestibus*, inquit, *eum spoliant ministri, Sacerdotes dein Unctionis oleum Sanctum afferunt, Episcopus verò, aut Hierarcha, cui Baptizandi officium incumbit, incipit eum inungere, ter eum signans signo crucis & tunc eum Sacerdotibus toto corpore inungendum tradit.* Postea ad μητέρα ὑοθεσίας, *matrem adoptionis*, i. e. *fontem pergunt.* Sic & a *Damascenus*, ἔλαιον ὂν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται, *Unguentum in Baptismate accipitur*; ut & b *Oecumenius*, ἐλάβετε διὰ τοῦ βαπτίσματος τὸ χρίσμα τὸ ἱερὸν, *Sacrum Chrisma per Baptismum accepistis.* Et *Simeon Thessalonicensis* inter recentiores, ὀφείλουσι κεχρίσθαι τῷ μύρῳ ὂν τῷ βαπτίσματι, *Unguento liniri debent in Baptismo, sed nemo clarius*, inquit, c *Dallæus*, *quàm Harmenopulus*, *apud*

a Περὶ πιστ: ὀρθοδοξ: P. 107.
b to. 11. p. 374.
c p. 213.

quem legitur de Chrismate, εἰ καὶ τοῦτο μέρος ἦν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *quamvis Baptismi pars esse videatur.* Nec recusarim certe [a] *Basilii* locum, licet minus dilucidum; huc trahi posse, cùm inter ἄγραφα δόγματα, & *traditiones*, simul enumeret *benedictionem aquæ Baptismatis*, & τοῦ ἁλὸς χρίσεως *olei Unctionis*, & etiam ipsius *Baptizati*, ut & (statim) αὐτὸν τὸν ἁλὸν χρίειν, *ipsam olei Unctionem*, *trinam immersionem*, ἄλλα ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, *& reliqua quæ fiunt in Baptismo.* Quibus equidem satis probabile fit, *Unctionem*, de quâ ille eo loco agit, eam esse quæ in *Baptismate* adhibetur.

[a] *De Spir. S. C. XXVII. to. 1. P. 211. A.*

§. 11. Apud *Latinos* audiatur, (nec enim recusamus,) sæculi istius testis, *Hieronymus in* [b] *Dialogo* inter *Orthodoxum & Luciferianum*, *Cap.* IV. *Inde*, (inquit,) *venit, ut sine Chrismate & Episcopi jussione nec Presbyter, nec Diaconus jus habeant Baptizandi.*] Ad hæc verba [c] *Marianus victorius* sine morâ pronuntiat, *Vetustissimam esse consuetudinem, ut in Baptismo Chrisma etiam addatur:* Idem confirmante *Dalleo* ex alio ejusdem *Patris genuino opere*, *Cap.* 3. In *Habakuk*, ubi *Baptismi Chrisma* diserte legitur. Sed & huc referendum judico, quod in [d] *Dialogo* prædicto, *Baptisma sacerdotium Laici* nuncupari videmus, *Scriptum* est (inquit) *Regnum quippe vos & Sacerdotes, &c. Sacerdotes* nempe & *Reges* oleo solenniter inungi *Mosaici* moris erat, nec mirum igitur, si qui a *Christo Rege*

[b] *To 2. p. 166. G.*

[c] *Scholi. in Dial. contra Lucif. 20. p. 44.*

[d] *Orthod. & Lucif. cap. 2. p. 166.*

Rege & *Pontifice* noſtro per Baptiſmum in ſplendidiſſimæ ſortis hæreditatem aſſumi dicuntur (*fecit*, inquit, *nos Reges & Sacerdotes Deo* &c.) hâc *Unctionis* Cæremoniâ inaugurandi cenſerentur. Sic & a *Gregorius*: *Presbyteri*, inquit, *Baptizatos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodùm ungere debeant in fronte.* Binæ (palam eſt,) *Unctiones*, prior *Presbyterorum* in Baptiſmo, ut & poſterior *Epiſcoporum* in *Confirmatione.* a *Ep. ex Regis. L. III. Ep. 9.*

§. 12. Imo ſub *Tertulliani* ævo idem ſuadent, quæ *lib.* de *Baptiſmo*, *Cap.* VII. legimus, ubi *benedictæ Unctionis, quâ Egreſſi de lavacro perunguntur*, mentio eſt. Ut & l. de *reſurr. Car.* Cap. VIII. Ubi ut *in Baptiſmo ablui Caro*, ita & *ungi & ſignari dicitur.* Certe ſi b *Honorio Auguſtodunenſi* credamus, *Apoſtolis ipſis imputandus eſt hic* ritus. *Sciendum*, inquit, *eſt, quod Apoſtoli & eorum Diſcipuli in fluviis vel in ſtagnis, vel in fontibus Baptizabant. Sed Clemens, docente Petro, Chriſma vel oleum addebat.* At quo minus ei credamus aut ab Apoſtolis morem hunc, ſeu ſcripto, ſeu ſine ſcripto traditum fuiſſe putemus, ſicut quam multa alia intercedunt, ita ejuſdem potiſſimum *Tertulliani* locus obſtare videtur, *de Coron. Mil* Cap. III. Ubi de *Traditionibus* loquens, iis præſertim quæ *Baptiſmum* diſerte attingebant, & *abrenuntiationem trinam, mergitationem, lactis & mellis præguſtationem, à lavacro quotidiano per totam inſequentem hebdomadam abſtinentiam*, inter *Traditio-* b *Gemma animæ. L. III. cap.* 106.

nes ἀγράφους recensens, de *Unctione* aut *Chrismatione* profundum silet. Verum illud pronum & præceps in Ecclesiâ semper fuit, Cæremoniarum Numerum, pro locorum & temporum ratione mutabilem, & inconstantem, nunc augeri magnificentius, nunc prudentius minui, nec igitur quicquam prohibere, quo minus *Apostolorum* ævo incognitum *Baptismi Chrisma*, sub *Tertulliani* & *Hieronymi* sœculo, in quibusdam Ecclesiis obtinuerit, in aliis itidem, aut neutiquam invalescente more, aut in desuetudinem paulatim abeunte.

§. 13. Nec igitur in hoc fortunæ *Anglorum*, aut quæstionis Nostræ fundus positus est, sitne idem *Alipta* qui *Baptista*; nec unquam ad *Lavacrum* sine myrothecio descendendum sit, necne; Baptismum *Aquæ* Legislatori nostro acceptum ferimus, ideoque infantes singulos solenniter inundamus, tingentes saltem quos non judicamus mergitandos, de *Oleo* quidem aut unguento parum solliciti, nec enim minus perfectè Baptizatos censemus, qui *Lavacro Chrisma* non adjecerint, nec Superstitionis aut piacularis ἐθελοπερισσοθρησκείας veneni, aut noxæ incusamus, qui quos *lavant*, simul etiam *liniunt*. Hos & alios innumeros ritus inter adiaphora numeramus, quæ ut laudabiliter adhiberi, ita & libere omitti posse nulli dubitamus.

§. 14. Illud interim Clarissimum est, ab hoc *Chrismatis* in *Baptismate* usu nullam Argumenti speciem

ſpeciem trahi poſſe, quo aut *Confirmationi Chriſma* abjudicetur, aut inter Cæremonias Baptiſmatis *Confirmatorium Chriſma* reponendum credatur; Quid vetat eodem oleo aut Unguenti Symbolo plures Eccleſiaſticos ritus celebrari? Id certè nobis ſatis libere largitur *Spalatenſis*, *Dallejana* ſententiæ anteſignanus; *Chriſmate*, a inquit, *Baptizamus*, *Chriſmate Confirmamus*, *imo Chriſmate Presbyterum*, *Chriſmate Epiſcopum ordinamus.* Quod & *de ſigno Crucis obſervavit Ibid.* vir doctiſſimus, plura quidem eo conſecrari *Eccleſias*, *Altaria*, *Calices*, æque ac homines. Quod & de impoſitione Manus manifeſtum eſt.

a de Repi Eccleſ. L. V. c. 5. n. 28.

§. 15. Certè ex *Leonis Epiſtolâ* 88. Ubi de *Chorepiſcopis* ſermo eſt, diſerte diſtingui videas *impoſitionem manuum*, *quâ fidelibus Baptizatis*, *vel converſis hæreticis*, *Paracletus Spiritus Sanctus traditur*, (quam ad *Confirmationem* pertinere nullus dubitabit) & *Chriſma*, quo *Baptizatorum frontes ſignantur*, vel ſi, ut *Blondellus* & *Dalleus* ſtatuunt, ea *Leonis* non ſit Epiſtola, idem planè b *Arauſicanus Canon*, *Leoni* genuino σύγχρονος, Confirmabit, qui *de eo qui in Baptiſmate Chriſmatus non fuerit*, *Sacerdotem in Confirmatione commoneri* jubet, ut mox fuſius declarabimus.

b Can. 1.

§. 16. De *priori* parte hactenùs. Ad *poſteriorem* jam progrediatur Oratio, Nullum ſcilicet dubitandi locum eſſe, quin nuda & ſolita-

ria χειροθεσία ad *Confirmationis* ritum peragendum abunde sufficiat, illud quippe ab *Apostolorum* praxi (ea præcipuè quæ *Act.* VIII. traditur) originem suam traxisse, adeoque impositione manus *Apostolicæ* (aut quod in idem recidit, *Episcopalis*) cujus *v.* 17. exerta mentio occurrit, Universum compleri; & unguento aut *Chrismate*, cujus nulla ibi aut alibi in sacro codice, aut vola aut vestigium extat, neutiquam indigere.

§. 17. Nec tamen quod necessarium non est, statim inter Sacrilegia numeramus, nec ab omnis supervacaneæ Cæremoniæ sarcina sic horremus, ut aut in fronte, aut in vertice inungi contumeliæ loco ducamus; Consignent libere, per nos licet, *Latini Græcique*, inungant liniantque, quibus id moris est, nihil certè culpamus, qui interim antiquæ simplicitati, & salubrium Cæremoniarum paucitati inhærentes, solâ *manus Episcopalis impositione*, & benedictione Neophytos nostros stabilimus. Nobis ad graviora Certamina ab Agonotheta, & brabeutâ nostro vocatis, non vacat, non licet, aut de Umbra, aut de Cortice, de Cæremonia, vel de vocula, cuivis Mortalium, nedum Christianorum cætui litem intendere; ad pacem suaviter, & efficaciter, amicissimè, & fortissimè compellante nos Deo, solamque τῶν ἀνωφελῶν φιλονικιῶν ingenerante: dum clientes suos Princeps hujus sœculi ad æterna dissidia, truculesque & nunquam finiendas Tragœdias, tanquam ad Metalla damnandos curaverit.

SECT. III.

SECT. III.

Confectio chrismatis, Consecratio, sed quæ ad personas non pertineat, & Episcopo peculiaris sic confecti usus Presbyteris competebat; Arausicanus Canon primus. Quinque conclusiones ex eo. Innocentii Decretalis. Ex eâ, & Epanensi Canone, & Beda, argumentatio Blondelli examinatur. Episcoporum Primitiva potestas. Multa Presbyteris ab Episcopo libere communicata, Reservata quædam, inter ea Confirmatio. Bedæ verba de Arrogantiâ non Episcopali sed Presbyterali intelligenda sunt.

§. 1. TErtiò, ut a thesi ad hypothesim tandem descendamus, simulque litem omnem, seu de *Chrismate*, seu de *Chrismatis* Ministro, *Dallæo* præripiamus, distinguenda sunt in *Chrismate Confectio*, & *Confecti usus*, illa χείσματος ποίησις, hic χείσις dicatur, Prior quidem, (quemadmodum *Sardo* placet,) *Consecratio* ἁγιάσεως μόνη nuncupari potest, sed quæ ad *res* tantum, neutiquam (quod *Dallæo* visum est) ad *personas* pertingat. Nec enim *personas* consecrat, qui *unguento*, quo personæ demum imbuendæ sunt, solenniter et pro officio benedicit, ut nec qui pani εὐλογεῖ *populum* consecrare dicendus est. Alia quippe est benedictio; & Consecratio seu *Confectio* Elementorum, quâ ad sacros usus invocato spiritu sancto, destinantur: alia est Con-

Confectorum distributio, prior inter sacerdotalia opera & peculia semper numerata, posterior Diaconis cum sacerdote communis habita est, Nec mirum igitur, si *Confectione Chrismatis* inter παροικίας παροικια Episcopis reservata, Confecti usus aut ministratio, ubi Episcopus presertim non fuerit, *sacerdoti*, aut etiam *Diacono* indultus aliquando fuerit.

§. 2. Ad *Chrisma* quod attinet nihil certè nobis officiet, si hac in re omnia planè ita, ut contendit *Dallæus*, factitata credantur. Neque enim hypothesi nostræ quicquam decedet, si quod de *Ægypto* edixisse Hilarius putatur, etiam de totâ *Græciâ*, & universo demum *Oriente* pronunciatum agnoscatur, ad *Presbyteros* scil. pertinuisse & χρίειν, & σφραγίζειν (*ungere* & *signare*) Et ita demum (si aut *Sardo*, aut *Dallæo* placeat) cum *presens non fuerit Episcopus, consignare.*

§. 3. Imo ne nimis pareus videar, qui *Orientem* dixi, de *occidente* itidem, ejus saltem particulis, nec paucis, nec contemnendis, eadem dici non gravabor; Interim quid antiqui canones hâc in re testentur, operæ precium sit vidisse; Et primo quia *Dallæo* volupe est, Concilii *Arausicani* Canon Primus (sub *Leone*, non multo post *Damasum*, *Sardo* δυάλισμα, constitutus) de *Galliâ* loquens libere audiatur: *Nullus*, inquit, *ministrorum qui baptizandi recepit officium sine Chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit*

cuit ſemel (Sirmondino Codici addit *Binianus, in baptiſmate) chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate quacunque ne ceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur.*] Iſtis quidem finiri canonem, eaque quæ ſequuntur, (& *Sirmondum, Aurelianumque* inter tam prolixum contentionis funem nectunt) recentioris manus aſſumenta eſſe, & mera utique ludibria *Dallæo* libenter concedimus; Et ex iis quæ nulli ſuſpicioni obnoxia ſunt palam concludimus. I. (quod ex *Tertulliano, Hieronymo*, & aliis ſupra attulimus) *Chriſmate Gallos*, quos baptizabant, eoſdemque & baptiſmatis & *Chriſmatis* Miniſtros fuiſſe, quicunque demum illi fuerant, qui ab *Epiſcopo Confectum Chriſma, cum baptizandi officio receperant.* II. *Conficiendi Chriſmatis* ut dignitatem, ſic Curam ad *Epiſcopos* peculiariter pertinuiſſe, ejuſque confectâ copiam Baptiſtis ſingulis (ſeu ſint illis Presbyteri, ſeu Diaconi) ab *Epiſcopis* ſolenniter ſuppeditatâ fuiſſe ut ad baptiſmales ſemper uſus ad *Manum & preſto eſſet*, cui cum ſatis proviſum ſit nullam dein III. Neceſſitatem eſſe, ut qui in baptiſmate ſemel unctus fuerit, in confirmatione rechriſmetur, ſatis enim eſſe, *ſi quilibet ſemel inungatur, in baptiſmo, ſi fieri commodè poſſet; ſin minus, in confirmatione.* Nec enim IV. (quod itidem prius diximus) ſic *confirmationi* neceſſariò adjectam *Chriſmationem*, ut qui in baptiſmo ſemel unctus ſit, in confirmatione denuo inungendus eſſet, tunc enim ſola

sola benedictione, & Episcopalis manus impositione, auctiorem spiritus sancti irrigationem in *Confirmatione* obtinuisse, qui loti simul ac Chrismati fuerant. Quibus utrobique libenter concessis, id demum V. ex vi Canonis hujus, & *Arausicanorum* Patrum celeberrimo suffragio fixum ratumque superest, a baptismate *confirmationem* procul disjungi: illud a ministro seu forte Diacono, qui baptizandi recepit officium; hanc ab *Episcopo*, qui *Sacerdos* frequenter dicitur, celebratam; quæque in baptismate, faciente quacunque necessitate, omissa sunt, ea in *Confirmatione* supplenda & reparanda esse.

§. 4. Hæc omnia, celeberrima *Innocentii Decretalis a Dallæo* non semel laudata, triginta circiter annis *Arausicano* Canone antiquior,) extra dubium posuit, sic enim ille *Decentio*, de nonnullis *Ecclesiasticis ritibus* consulenti respondit. [a] *De consignandis infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent: Hæc autem Pontificibus solis deberi ut vel consignent, vel Paracletum spiritum tradant non solum Consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa Lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Johannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum; Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet; sed quod ab Episcopo fuerit Consecratum,*

[a] *Epist.* 1. c. 3. *concil. to.* 1. p. 751.

non

non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum Paracletum.] Ecce *Consignationem*, qua *Spiritus Paracletus traditur*, *a baptismo* procul disjunctam, illam, quâ *frontes oleo Consecrato inunctæ signantur*, hunc, *quo ex lavacro Crismantur*, Illam ex vi *Consuetudinis Ecclesiasticæ*, & *Lectionis Apostolicæ*, nec *Sacerdotum* cuivis gregario, sed *Pontifici* reservatam, hanc quidem, quatenus eâ *Baptizatorum Unctio* intelligitur, Presbyteris libere permissam; Confectionem vero, seu *Consecrationem Chrismatis* soli *Episcopo* peculiarem: Clarissima omnia, nec de sæculi hujus sententiâ dubitandi ansa supereſt, *Innocentio Arausicanis* Patribus facem adeo lucidam præferente, illis *Innocentio* lampadem vicissim referentibus.

§. 5. Verum si hæc ita sint, plane de Hierarchicis actum esse acclamat [a] *Blondellus*, *quis enim adeo Supinos Patres nostros* (*Gallos Arausicanos*) *fuisse credat, ut quod spiritui sancto, summo Divini Juris conditori, a Presbyteris fieri non placuit, ab iisdem exerceri placere sibi decernerent, quodque Episcoporum singulare πρεσβύτιον fuisse putatur, ab Episcopis collatæ cælitùs Gratiæ prodigis, subditis tantæ Gratiæ imparibus ullo casu communicandum videretur?*] *Hæc & alia ex hoc primo Arausicano* Canone, contra *Hierarchicorum jactantiam & fastum*, Non minori aut jactantiâ, aut supercilio effudit vir magnus, cum ex hoc de *Confirmatione per manus impositionem*

[a] *Apol. pro Hier. sent.* p. 148.

fonte

fonte argumentum pro *sententiâ suâ Hieronymianâ* procuderet.

§. 6. Nec isthoc Contentus, dogma illud ex
a Cap. 16. b *Epaunensis Synodi A.D.* 517. Canone, *desperatis & decumbentibus hæreticis (si conversionem subitam petant) Presbyteris subvenire chrismate permittente* firmius stabilivit, tandemque universam Prælaticorum Machinam, uno *venerabilis Bedæ*, sed eo truci, flatu concussit, & solo æquavit: *Ne-quis*, inquit, *ulterius scrupulus hæreat, reclamante hactenus nullo, aperto ore, post An.* 700. *profitetur* c *Beda, unctionem illam quæ per manuum impositionem ab Episcopis quasi alia a duabus prædictis, & vulgo confirmatio dicitur eandem cum secunda esse, (Chrismate* scil. *post Baptismum) propter arrogantiam tamen non concessam esse singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.*

§. 7. Hæc certe *Beda* (exceptis quæ parenthesi inclusit) & his tanquam totius Latii spoliis, & exuviis, supra modum locupletatus *Blondellus*, gratulari *Hieronymo* suo permittendus est, qui tam irrefragabilis Doctoris clypeo armatus supra omnem Hierarchici Livoris ictum securus triumpharit; *si enim*, inquit *eadem revera est cum Presbyterali* Episcopalis *Consignatio, si tantumdem Neophytis Prebyter Ungens, ac Episcopus manus imponens præstat, si par in se utriusque potestas, in speciem tantum dispar, propter arrogantiam effecta est; si arrogantiam Divino Juri, charitatis nunquam tumentis, sua nunquam quærentis,*

rentis, sed ubiq; ac semper beneficia legibus inimicam nemo nesciat, tunc certe desperata, & Conclamata & in omne ævum triumphata *Episcoporum* causâ *vacuâ lusurus in Aulâ est Presbyter*, nec est quod quisquam oggaunniat, & obmurmuret.

§. 8. At quid si ad calculos tandem nostros (licet ὀν παρέργω) hoc totum viri magni ratiocinium revocetur? Certè eâdem operâ *Dallaeo*, qui iisdem fulcris utitur, & præ aliis potissimum confidit, simul ac *Blondello*, vicem rependemus. Nec multis indigebimus, statim experturi, quam nihil plane sit, quod in hac universa fabricâ (ipsis ex animo succedente, & ad votum ferruminata) *Presbyteranæ* ἰσοτιμίας advocati lucraturi sunt.

§. 9. Et primo, quid si libere concedamus, *Episcopos* Apostolorum successores, potestatisque omnis ordinariæ quam ipsi a *Christo*, *Christus* à *Patre*, acceperant, ex asse hæredes factos, hanc aliis sicut ipsis visum fuit vel in integrum, vel ex parte communicasse, adeoque augescente, & in infinitum fere crescente fidelium numero, multa tandem *Presbyteris* secundariis aut partiariis ab *Episcopo* ubique concredita esse, ad quæ ipsi in personis suis non sufficerant, paucis tantum sibi ipsis ἰδίως reservatis, quibus originalis ὑποροχῆς dignitas, & exortis potestatis Apex incolumis, & integer conservaretur?

§. 10. Sic certè rem verè, & non per somnium gestam esse βαθυτάτας ἱστορίας nos certos faciunt

omnem quippe sub τῆς χειροτονίας, fidelique in Cunis vagientis infantia, & baptizandi, & conficiendi cœnam, & sponsalia celebrandi, & Eleemosynas recipiendi, dispensandique, & quidlibet demum Ecclesiasticum procurandi potestatem penes *Episcopos* fuisse affirmant, quæ postmodum suis modulis finibusque *Presbyteris*, imo *Diaconis* & *Subdiaconis* concredita sunt, nec enim unquam à spiritu sancto, Summo Divini juris Conditore, hujuscemodi latam legem, aut tale quicquam *Hierarchicis* nostris per somnia visum fuisse, quâ *Presbyteris* ex sententia *Episcopi* ea facere non liceret, quæ consulto decreverant *Episcopi* Presbyteris committenda esse.

§. 11. Multa certe sunt, quæ *Episcopi* communi per totum orbem consensu *Prebyteris* relinquenda, paucula quæ sibi reservanda decreverant. Fruantur igitur libere istis quæ concessa sunt modo quæ non concessa non attingant Presbyteri; *Chrisment* in baptismo, imminente præsertim mortis periculo quandoquidem Chrismate ab *Episcopo* confecto ad baptismales usus instructis ex eorundem Episcoporum sententiâ hoc jus Presbyteris permissum est. A *Confirmatione* vero, manus impositioni, & benedictioni Episcopali, ex consensu Universæ Ecclesiæ, reservatâ, prudenter sibi abstinendum censeant, nec assumant sacrilege, quod ipsis nullatenus indultum est.

§. 12. Nec quicquam igitur supereſt, quod in

Arausicanis

Arauſicanis aut *Epaunenſibus*, *Blondelli*, aut *Dallei* Patribus, aut proavis, culpari poſſe ſomniemus Hierarchici, Omnia rite, & ordinate, & ex mente Spiritus decreta agnoſcentes; nihil quod divino, aut Eccleſiaſtico Juri quovis modo deroget, ſi Presbyteri deſperatis & decumbentibus, hoc Confecti ab Epiſcopis chriſmatis ſubſidio, idque ex Epiſcoporum, ipſiuſque concilii ſententiâ, ſubveniant.

§. 13. Ad *Bedam* quod attinet quamvis verè φιλαρχαίως crudum, & ſingulare recentis Doctoris, aliud plane agentis ex octavo ſæculo petitum Teſtimonium, nihil grande, aut præter Nominis ὁμωνυμίαν *venerabile* ſonet, aut quod univerſæ puriorum ſæculorum Eccleſiæ legem figat, aut de nativis Epiſcoporum τεκμηρίοις pronunciet, Nulla tamen aut Novitatis, aut prodigii ſpecies huic ejus qualicunque effato ineſt, a quâ adeo horreamus Prælatici.

§ 14. Eſto, eadem ſit *Unctio* ea quæ ſit *per manuum impoſitionem ab Epiſcopis, & Confirmatio dicitur cum ſecundâ unctione Chriſmatis dicta* in qua, ut ibidem ait *Beda*, *magis firmamur, quia & nomen Chriſti in eâ profitemur, & ab eo nomen accipimus, ſcilicet ut Chriſtiani dicamur*, Quid ex hinc contra Hierarchicorũ placita concludere potuit? Quibus demum malleis extundere *Chriſmationem*, aut *Confirmationem* (quam *Blondellus* ipſe *poſt Baptiſmum* fuiſſe aſſerit) *Baptiſmi* ex ſententia *Bedæ*, partem eſſe? Qui-

bus denique fidiculis extorquere, ſacrum *Chriſma* à *Presbyteris* adminiſtratum, aut (quod adhuc magis) *confectum* eſſe? *Nunc* (inquit *Beda*) *in Sacramento olei & Chriſmatis ungimur, per quod ſacramentum quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri ſumus, ſignificatur.*] An de mero *baptiſmo* hæc *Beda* philoſophatus eſt, & cum Beda eadem pronuntiaturus erat *Blondellus*?

§. 15. Audiatur, ſi placet idem Beda, *lib. 6. in Lucæ* nec minus uti ſpero, *venerabilis*, cum in *Evangelium* quam cum in *Pſalmos* commentarios ſcriberet. *In montem*, inquit, *Olivarum diſcipulos* C. 22. 39. *educit ut omnes in morte ſua baptizatos ultiſſimo ſancti ſpiritus Chriſmate Confirmandos eſſe deſignet, Baptiſmus* (videtis) *in morte Chriſti, Chriſma ad impetrandum ſpiritum S.* Præcedit *Baptiſmus, chriſma ſequitur*, qui jam jam baptizati ſunt, dein *Chriſmate ultiſſimo* donandi, & ſic demum *confirmandi*. Alius itaque a baptiſmo *confirmatorii chriſmatis* Ritus.

§. 16. Verum & ſi illud omittatur, nihil tamen adhuc pronuntiavit *Beda* de *Chriſmate* a Preſbytero adhibito, nedum *confectio*. Relegat *Dallæus* integrum *Bedæ* Commentarium in *Pſalmi Epigraphen*, & verba ea [*ante quam linirentur*] ut & in illa [*Dominus illuminatio mea*] nihil inveniet, quod *Chriſmationem Presbyteris adjudicet*. Hoc tantum dixit, unctionem illam, *quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis facta vulgo confirmatio*

matio dicitur, eandem esse cum Unctione chrismatis in qua magis firmamur &c. (nec quisquam certe negaverit) *dein eam singulis sacerdotibus concessam non esse.* Quod vero exerte additur, propter arrogantiam esse, quod singulis sacerdotibus concessa non sit. *Id* plane cõtra *Bedæ* sensũ, ad suum detorsit *Blondellus*, nec enim *Episcopalis arrogantiæ* fœtum hunc ad judicavit *Beda*, sed adversus *arrogantiæ Presbyteralis* periculum, ex paritate, & ἰσοτιμίᾳ, nisi quædam *Episcopis* τιμιώτερα, nisi *singularis aliqua & exors dignitas* reservaretur, oriturum, hoc prudenter paratum antidotum pronunciavit. (videatur *Toletanæ Synodi Canon* XX. mox producendus.) Nec hoc tantum, sed & multa alia *Arianæ* æqualitati consultissime opposuit *Ecclesia*, quæ si quis *Prælatorum* fastui imputanda suggesserit, næ ille in venena *Panaceam*, & in morbos remedia transmutaturus est, & ex ferro, galeæ aut loricæ (salutaribus istis armis) destinato, insensissima tela contra Politiam Ecclesiasticam fabricaturus. Quod an inter perspicacitatis nimiæ indicia reponendum sit, pœnes Lectorem arbitrium esto.

§. 17. Valeant tandem, & per me licet, placide recumbant Blondelli manes, ad tales congressus non temere dehinc, nisi Dalæus evocaverit, sollicitandi.

SECT. IV.

Arauſicanus Canon Secundus de hæreticis a Preſbyteris in mortis periculo conſignandis. Canon Silveſtri ::: Pontificali. Toletanus Canon. Photii Teſtimonium. Confectio ad ſolum Epiſcopum pertinebat. De eo Canon Silveſtri. Quid ex eo concludi cupiat Dallæus. Canones Africani. Toletanus. Quid ex eo Dallæus. Author Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Paraphraſtes ejus Pachymeres.

Can: 2. §. 1. SEd & alius ejuſdem *Arauſicani* Concilii Canon hic apponendus eſt, *Hæreticos*, inquiunt, *in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderent, ſi deſit Epiſcopus, a Presbyt: cum Chriſmate & benedictione conſignari placet.*] Hic certè Canon, poſt alia nonnulla, mihi omnino perſuaſit, prædictum *Sardi* locum (ſi tandem detur mendâ vacare) plane de *Chriſmate* intelligi debere, Et ita, nobis non abnuentibus imo (ut ex prædictis patet) ſuffragantibus libere concludatur, *Chriſmatis*, cujus conficiendi jus ſoli *Epiſcopo*, ex Sacerdotalis Apicis prærogativa, competit, *Confecti* uſum, & poteſtatem penes Presbyteros fuiſſe, ubi *Epiſcopus* deeſſet, præſertim ſi illud ambientibus, *periculum Mortis* immineret.

§. 2. Et quod de *Galliâ Patres* hi, idem etiam de

de *Româ* testetur (me heutiquam renitente) quod ex [a] *Pontificali* adduxit [b] *Dallæus* (licet ex concilio sub *Silvestro*, aut *Epilogo*; cujus verba illeut gemina [c] adjecit; nihil tale adstrui aut stabiliri possit.) Hic (de *Silvestro* refert *Pontificale*) *& hoc constituit, ut liniat Presbyter Chrismate levatum de Aquâ propter occasionem transitus mortis.*] I. Esto, Unusquisque fidelis, in *Christi* familiam, aut Cognationem admissus, Materiali *Chrismate* ad Spirituale uncti Domini συμβόλωσιν, solenniter instauretur, idque vel in *Baptismo*, vel in *Confirmatione*, si *periculum* maturari jubeat, si *occasio transitus mortis postulet*, *provide & paterne Silvester monet*, *ut è Lavacro Levatus sine morâ ungatur*, Presbyteris ad id *Chrismatis* ab *Episcopo confecti* copia, simul ac inungendi Baptizatos potestate instructis: Si vero nulla necessitas festinandum suadeat, ad *Confirmationem* opportunius differatur, & a *Præsule* ipso; in Sacerdotii apice locato, cum solenni manus impositione, & benedictione, visibile *Chrisma* Invisibilis Gratiæ Symbolum adhibeatur, & sic demum in Athletam ungatur, & ad ἕξιν perfectæ Christiani (i. e. Spiritu Christi inuncti) firmam, & plane pancraticam instituatur. Quid clarius? a *Lavacro* exerte distinguitur *Confirmatio*, Ungit in lavacro Presbyter, sed ex sententia Episcopi, & Chrismate ad id ab Episcopo confecto, seu consecrato, idque non alias, quam propter occasionem transitus mortis,

a *In Silvest.*
b *P.* 239.
c *Ibid.*

nis, quo periculo non suadente, ad *Episcopum* solum in *Confirmatione* Universa *Christianæ* Cæremonia reservatur.

§. 3. His concinunt *Toletani Patres, An. Dom.* 400. *Statutum est*, inquiunt, *Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.*] In eundem plane sensum, nobis non renitentibus, ut scil. Presbyteris, non Diaconis, cum Baptismi potestas, *Chrismandi* etiam jus competat, quotiescunque *Sacramentum* urgente ex causa accelerandum sit, nec *Chrismatis* ad *Confirmationem* differenda.

§. 4. Ad *Græcos* quod attinet, illud ante omnia, *Epistola* a *Photii*, apud nos nuper edita, & a Doctissimo *Dallæo* ad partes ipsius vocata, extra dubium posuit, æque enim Presbyterum (ἱερέα *Sacerdotem* dictum) μύρῳ σφραγίζειν, ἁγιάζειν, χρίειν τὸν τελούμενον, ἁγιάσιον δεῖν τὸ βαπτιζόμενον τελεσιουργεῖν, *Unguento signare, sanctificare, ungere consummatos, expiatorium donum Baptizato Consummare*, (quæ omnia ad *Chrismationem* pertinent) ac βαπτίζειν ὅλως ἢ ἱερᾶσθαι, *Baptizare omnino aut sacrificare.* Illud igitur *Dallæo* lubenter concedimus, (nec item quovis modo intentamus) non solum *Baptizasse* Presbyterum, sed & hoc sensu *Chrismasse*, & *consignasse.*

a P. 50. 51.

§. 5. Hoc interim inter antiquos, saltem inter *Damasi* συγχέλλους, non ignotum est, Con-

secrandi

ſecundi Chriſmatis facultatem *Epiſcopo* propriam fuiſſe; etiam iis temporibus cùm administrandi, poſt conſecrationem, poteſtas Presbyteris commiſſa fuit; Id de *Sylveſtro* Romæ ſedente *An. Ch.* CCCXIV. Et in *Concilio* decernente, An. CCCXXV. Fatetur a *Dalleus*, adductis & ex b *Pontificali*, & ex c *Epilogo Concilii* verbis, *Conſtituit*, inquit, *& Chriſma ab Epiſcopo confici, & Conſtituit etiam voce clara Sylveſter Epiſcopus Urbis Romæ, ut nemo Presbyter Chriſma conficeret.* Decreta autem hæc, ſi revera ſic ſe habuerint, (ea autem ſic ſe habuiſſe *Dalleus* contendit) LXII. annis ante *Damaſi* Papatum, XXX. ad minimum ante *Sardi* Commentarios facta ſunt.

a *P.* 239.
b *In Silveſter.*
c *Concil. t.* 1. *p.* 314.

§. 6. Quod vero concludi exinde vult d *Dalleus* hanc *Conficiendi Chriſmatis poteſtatem*, peculiariter hic ad *Epiſcopos* reſtrictam, *Presbyteris* quoque cum iiſdem *hactenus fuiſſe Communem*, id nemini perſuaſurus eſt, cum (ut alia omittam) ipſo e fatente, æque concludi poſſit e ipſius *Chriſmatis* Uſum in *Eccleſiâ Romanâ* antea incognitum, in hoc Sylveſtri Concilio primo inſtitutum fuiſſe, & quidem ita ut ejus *Conficiendi* penes Epiſcopum jus futurū eſſet. Quod ſi in Gratiam Doctiſſimi Diſputatoris concedatur, videat neceſſe eſt, quâ ſit prorſus impoſſibile, ut quod *Romæ* nondum cæptum ſupponebatur, id hactenus *Presbyteris pariter ac Epiſcopis communi* ſtatuatur.

d *P.* 24.
e *Ibid.*

§. 7.

§. 7. At omisso *Sylvestro* (nec enim aut *Pontificali* aut *Epilogo* multum confidimus) Consulatur præ cæteris *Africani Codicis Canon* Sextus, cujus titulus est, Ὥστε χρίσμα ἀπὸ πρεσβυτέρων μὴ γίνεσθαι, *Chrisma à Presbyteris ne conficiter.* Prodiit hic Canon, si *Dallæo* credimus, *An. Ch.* CCCXC. Nec proinde aut *Damaso*, aut *Sardo*, aut *Ambrosiastro* nostro multo recentior. Verum & eandem porro sententiam à prioribus *Conciliis* repetit: *Conciliis* dico, multitudinis numero, non enim à solo illo *Carthaginense* hoc proxime præcedenti (ut ex *Latino* Exemplari colligit *Dallæus*, minus quidem recte, cum nulla ibi hujus rei extet mentio) *Fortunatus* (inquit) *Episcopus dixit*, ὃν ταῖς προλαβοῦσαις συνόδοις μεμνήμεθα ὁρισθέντα, ὥστε χρίσμα &c. ἀπὸ πρεσβυτέρων μὴ γίνεσθαι. *In præcedentibus Synodis definita meminimus Chrisma à Presbyteris conficiendum non esse.* Et sic ex omnium suffragio Χρίσματος ποίησις — ἀπὸ πρεσβυτέρων μὴ γίνηται — *Confectio Chrismatis à Presbyteris ne fiat*, τοῦτο πᾶσιν ἀρέσκει, *hoc omnibus placet* — videmus *Chrismatis* voce Χρίσματος ποίησιν *Confectionem Chrismatis*, τοῦ ἁγίου μύρου τελετὴν, inquit *Balsamon*, *Consecrationem sacri Ungenti* notari, eamque *Presbyteris*, qui tamen confecto μύρῳ ungebant Baptizatos, abjudicatam, & æque ac καταλλαγὴν μετανοούντων *Pænitentium reconciliationem* & κόρων παρθενίαν (scil. ὁμολογουσῶν.) καθιέρωσιν, *puellarum virginitatem*

tem profitentium, interdictam, ac proinde nec consecrationem *Hilarianam*, si ea consecrationi *Chrismatis* æqui polleat, Presbyteris competiisse.

§. 8. Sic & prædicta *Toletana Synodus*, a *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hoc die nullum alium nisi Episcopum Chrisma facere* — Et mox, *Episcopo sane certum est omni tempore licere Chrisma conficere sine conscientiâ autem Episcopi nihil penitus faciendum. Statutum vero est, Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.*] Hic si absit *Episcopus*, permittitur quidem *Presbyteris Chrismatis* Usus, non autem ex qualibet demum περιφάσει ipsa *Chrismatis confectio*. Si præsens sit, hoc ab *Episcopo* ipsis præcipitur, non ipsi ex suo jure assumunt; aut aliis præcipiunt. Altera potestas Presbyteris ab *Episcopo* conceditur, *Diacono* interim interdicta, altera *Presbyteris* interdicitur, *Episcopo* soli reservata. a Can. XX.

§. 9. Quomodo autem ex hoc *Canone* Certissimum, ut statim pollicetur *Dallæus*, *argumentum necti possit*, quo probetur *Chrismatis etiam conficiendi jus Presbyteris ab antiquo fuisse*, alii penitius perscrutentur, mihi certe caligant oculi, nec quicquam tale perspiciunt. Nec enim adeo certum apud omnes, & indubitatum est, b *De Confirm.* pag. 270.

ipsum

ipsum *Chrismatis* Usum *Hispanis* ab antiquo cognitum fuisse, nec si fuerit, à *Presbyteris* illud ab antiquo *confectum* esse, Leges quippe & Canones haud rarò moribus novis & malis corrigendis, æquè ac immutandis antiquis & bonis fuisse comparatos nemo nescit.

§. 10. Nec certè contemnendus est *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* Author, ex aliorum Doctorum sententiâ, (licet *Dallæo* ea non placeat) *Damaso* saltem suppar, qui *Chrismatis* Consecrationem adeo diligenter (dabit veniam, spero, *Dallæus*, si stylo usus sit plus æquo turgescente) soli *Episcopo* vindicandam curavit. Ἡθέλα (inquit) θεσμοθεσία τὴν τῶν Ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιαστείαν καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν τοῦ θυσιαστηρίου τελεσιουργίαν ταῖς τῶν ἐνθείων Ἱεραρχῶν τελεσιουργικαῖς δυνάμεσιν ἐνιαίως ἀπεκλήρωσεν. *Ecclesiastici* (quos de more *divinos* appellat) *Canones Hierarchicorum ordinum sanctificationem, & sacrum Altaris Consummationem in potestate Episcoporum peculiariter esse statuerunt.* Ad quæ verba *Paraphrastes Pachymeres* ἐξαιρέτως τῷ Ἱεραρχῇ πρὸς αὐτουργίαν (καὶ οὐ δι' ἄλλα τῆς τῶν ἑτέρων ὑπουργίας) ἀποκεκλήρωται ὁ τοῦ μύρου ἁγιασμὸς &c. *Unguenti* &c. *Consecratio peculialitèr Episcopo tribuitur, ut ipsius manibus, non ex aliorum ministerio fiat.* Et iterum, χρεία Ἀρχιερέως εἰς τὸ χρίσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα αὐτὴ γὰρ ἦν ἀρχαία συνήθεια; καλῶς ἄρα ἐλέγομεν, ὅτι τὰ τρία μυστήρια τελεσιουργικαὶ δυνάμεις εἰσι, καὶ πῶς ἐνιαίως τῷ Ἀρχιερεῖ ἀπεκληρώθησαν, τουτέστι μονομε-

μονομερῶς καὶ ἁπαξαπλῶς, καὶ οὐ κατὰ τὶ καὶ μερικῶς.
Episcopo opus est, ad baptizatum unguento liniendum, ea enim antiqua Consuetudo fuit, rectè igitur diximus Mysteria hæc tria Consummativas potentias esse, & quodammodò peculiariter ad Episcopum pertinere i. e. *unicè & in universum, non secundum quid & partialiter.*

§. 11. Quare ex his omnibus & singulis sive postulatis, sive concessis, nihil dum *Dallæi* causæ accessit roboris, frustra enim pertendit memoratam apud *Sardum Chrismationem* ad *Presbyteros* pertinuisse, nisi illam etiam probaverit *Chrismatis Confectionem*, quæ & sola est, & dici debet *Consecratio*, ex Coævorum Calculo, ad *Presbyteros* unà cum *Episcopis* pertinuisse.

SECT. V.

SECT. V.

Baptiſmi perficiendi poteſtas Presbyteris communicata. Confirmatio à Baptiſmo ſemper diſtincta. Aliqua Presbyteralis benedictio ante baptiſmum. De eâ Canon Eliberitanus XXXIX. *Euchologium. Clemens Alex. Euſebius, Conſtitutionum Scriptor. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ author. Auguſtinus. Severus Alexandrinus, Simeon Theſſalon. Cyprianus. Benedictio ad perficiendum Baptiſmum. De eo Canon Eliberitanus* LXXVII.

§. 1. AD ultimum *Dalleana* Sententiæ articulum quod attinet, I. Concedimus *baptiſmum* adminiſtrandi jus, eumque omnium rituum numero *perficiendi*, & abſolvendi poteſtatem Presbyteris omni ævo, ex quo tales creati ſunt, (non tamen ἀνὰ γνώμην Ἐπισκόπου *ſine ſententia Epiſcopi*) competiiſſe. Ideoque ſi ſententiam ſuam quâ *Chriſmationem*, aut *manus impoſitionem*, non aliam, quàm *Baptiſmi* Cæremoniam eſſe contendit, ex primævæ antiquitatis monumentis *Dalleus* ſtabiliuerit, ſi, inquam, hoc unicum ſolidè præſtiterit, non erit cur de *Chriſmandi*, & *Conſignandi* facultate Presbyteris in univerſum conceſſâ dubitemus aut repugnemus, modò reſervetur *Epiſcopis* illud (quod prius ſtabilivimus) *Chriſmatis Conficiendi* prviilegium.

§. 2.

§. 2. Verùm *secundò*, poſt ſingula, quæ à doctiſſimo viro ad hanc rem adducta ſunt, penſiculatius libratа, mihi adhuc extra dubium ponitur, *Confirmationis* Ritum (*Sacramentum* non dicimus, niſi ut *Cyprianus* eam manuũ impoſitionem, quæ baptiſmũ præceſſit *baptiſmo* jungens, *utrumq; ſacramentum* dixit, i.e. *latè*, & impropriè, ut prædiximus) vel *Chriſmatione*, & *Conſignatione*, i.e. *impoſitione manuum*, vel etiam ſine *Chriſmatis* uſu, ſolâ *manuum impoſitione*, variè, in diverſis Eccleſiæ ſeculis, & partibus, celebratum, alium planè à baptiſmatis ſacramento, & Cæremoniis ejus, in Eccleſiâ Antiquâ ſemper habitum eſſe, & nunc quoque haberi.

§. 3. Quædam certè ſunt, quæ diſtingui, ſuiſque ſeparatim claſſibus reponi optarim, ut res integra, quatenus ex antiquis Canonibus, & ſcriptoribus; tam *Græcis* quàm *Latinis*, ipſiuſque Eccleſiæ praxi colligi poteſt, aperte cernatur.

§. 4. Eſſe certè aliquam *Presbyteri benedictionem* in baptiſmo vel *ante Baptiſmum*, ut & aliam, quâ *poſt* baptiſmum *perfici* dicitur is, qui *privatim*, aut raptim in periculo mortis baptizatus fuerit, non repugno, *Eliberitani* quidem Concilii *Canones* XXXIX & LXXVII id genus nonnulla commemorant, *Gentiles* (inquit prior) *ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliquâ parte honeſta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*] Hic ut *fieri Chriſtianos*] *baptiſmum* ſignificat, ſic *impoſitio manuum*,

Concil: t: 1. p: 237. c:

manuum, illi viam sternens, de eâ, quæ dicitur cum oratione conjuncta ad *faciendum catechumenum*, vel εἰς τοὺς εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα εὐτρεπιζομένους *ad eos qui ad sacrum baptisma instructi sunt*, (cujus alia non rara apud Patres vestigia reperiuntur) intelligenda est.

a Euch. per Goar. p. 334. b P. 343.

§. 5. Videatur in *Euchologio* a εὐχὴ εἰς τὸ ποιῆσαι κατηχούμενον, *Oratio ad faciendum Catechumenum*, Ubi ἐμφυσᾶ, σφραγίζει, καὶ ἐπιτίθησι χεῖρα, *inflat, signat, manum imponit &c.* Ut & ex b *MSS. Barberino*, qui *S. Marci* dicitur, *clamat Diaconus*, Ὅσοι ἀνὸς τὸ φῶτισμα, προέλθετε τῇ χειροθεσίᾳ καὶ εὐλογεῖσθε, καὶ πάντας χειροθετῶν ὁ ἱερεὺς &c. *Quotquot ad Baptismum dispositi estis, accedite ad manus impositionem, & benedictionem accipite, dein manum imponit sacerdos.*

§. 6. Ad hanc pertinet *Clementis Alexandrini* dictum in *Pædag.* Τίνα γὰρ ὁ προρβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui verò Presbyter manum imponit, cui benedicet?*

c De vit. Constan. l. 4.

§. 7. Ad hanc quod de *Constantino* scribit c *Eusebius*, Ἐξομολογούμενος τῶν διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο, *Confessione factâ precum per impositionem manuum particeps factus est.*

§. 8. Ad hanc *Constitutionem* antiquus scriptor respexit, ubi post eorum, quibus imbuendus est *Catechumenus*, enumerationem, addit, προσκυνεῖτω δὲ ὁ χειροθετῶν αὐτὸν τὸν θεὸν εὐχαριστῶν &c. εἰς τὸ καταξιωθῆναι αὐτὸν τοῦ λούτρου &c. *Deum adoret qui manus imponit, gratias agens, ut ille ad lavacrum*

vacrum admittatur. Cuius & mentio fieri videtur, in ſyllabo Capitis XLI. ὅπως χρὴ τὸς κατηχουμένους ὑπὸ τῶν Ἱερέων ἐν τῇ μυήσει εὐλογεῖσθαι, *quomodo debent Catechumeni in initiatione benedici* (licet in capite ipſo nihil tale reperiatur) idem enim valere *manus impoſitionem*, & *benedictionem* nullus dubitaveris; Id *Clementis Alexandrini* modò allata verba, id *Severi* mox apponenda apertiſſimè demonſtrant: Male itaque dividi *Conſtitutionum* illarum Capita, & priorem ſyllabi Capiti XLI. præfixi partem ad *Cap.* XL. pertinere, ſi loca inſpexerit, ſtatim mecum lector agnoſcet.

§. 9. Ad hanc *Authoris Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* diſerta verba clariſſimè pertinent a *c.* II. ubi cùm *interrogaverit* ſacerdos an vitam Deo gratam inſtituturus ſit Catechumenus μὴ τὴν ὁμολογίαν ἐπιδοὺς ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ σφραγισάμενος ἐπιγράφεσθαι κελεύει, *poſt profeſſionem capiti ejus manum imponit, & cùm eum conſignaverit, perſcribi nomen jubet.* Et iterum, cùm *ter illi profeſſionis* formam poſuerit, & *Catechumenus*, ter *profeſſionem* fecerit b ἀποδεξάμενος εὐλογεῖ, καὶ χειροθετῶν, *Oratione habitâ benedicit, & manus imponit*, & tunc etiam c *ſanctio oleo totum corpus inungit*, & hæc omnia antequam aquâ proluatur; aut d baptizetur. Ad hanc etiam reſpexit *Auguſtinus* e *de pecc. meri. & remiſſ. Catechumenum*, inquit, *ſecundum quendam modum ſuum per ſignum & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari.*

a *Edit. Mor.* p. 116.
b p. 117.
c p. 118.
d Ibid.
e lib. II. c. 26.

a *Not. in Euchol.* p 348. *Not.* 8.

§. 10. Idem ex a *Severi Alexandrini* baptismali ritu *Jacobus Goar* laudavit, his verbis, *Imponit eis manus Sacerdos, & in omni invocatione facit Crucem super vultum eorum*; & *ex Simeone Thessalonicensi*, ἐπιτίθησιν ὁ Ἱερεὺς αὐτῷ τὴν χεῖρα, ἁγιασμένην ὅπερ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ἀναπλάττουσαν, & εὐλογεῖ τὸν θεὸν ὁ Ἀρχιερεὺς — εἶτα χειρὸς ἐπιθέσει δηλοῖ — διὰ τὴν (legendum crediderim δι' αὐτὴν) μεταδιδομένην χάριν καὶ τὴν ἀνάπλασιν, *Manum ei imponit sacerdos, manum quidem ipsam sanctificatam, & in spiritu reformantem, & benedicit Deo Episcopus, dein manus impositione gratiam & renovationem eâ significatam significat.* Quod licèt hic *Simeon* de *Episcopo*, vel *summo Sacerdote*, edicat, prius tamen apud eundem ὁ Ἱερεὺς, ut & apud *Augustinum Sacerdos*, apud *Clementem* ὁ Πρεσβύτερος hâc λειτουργίᾳ fungi dicebatur. Nec vel minimus dubitandi locus est, quin ut baptismus, sic hæc *Manuum impositio*, *Consignatio*, *benedictio*, baptismo prævia, a *Presbytero*, ex more, peracta sit.

§. 11. Et certè quid ni ad hanc Classem referri possit *Cypriani* illud ad *Stephanum*, cùm *parum* esse dixerit *eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum; tunc enim demum*, inquit, *plenè sanctificari, & esse Dei filii possunt, si Sacramento utroque nascantur*, (*Sacramenti* nimirum voce latè, ut diximus, & impropriè, pro quolibet sacro ritu sumptâ) *Cùm scriptum sit, Nisi quis natus*

natus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei] vides hic poscentem *Cyprianum*, ut *impositioni manuum baptismus adderetur*, ad exemplar (quod statim subdit) a *Cornelii Centurionis, & Ethnicorum in domo ejus, quos, post Spiritus Sancti in eos descensum, cùm jam fuissent adimpleti variis linguis, Beatus Petrus divini Præcepti, atque Evangelii memor, baptizari præcepit*: Ideoque non incommodè de eâ manuum impositione, quæ baptismum præcessit, intelligi posse. a *Act.* 10.

§. 12. Non quòd ego eam χειροθεσίαν, quâ ad Orthodoxiam ab hæresi Conversos in Catholicam Ecclesiam recipi mos erat, cum hâc, quæ baptismo præluit, confundi velim, (de eâ mox latius dicturus sum) sed quod *Cyprianus*, qui hâc non contentus, baptizandos urgebat, eo quod *parùm sit manum imponere, nisi accipiant Ecclesiæ baptismum*, & ad hoc *Cornelii* Exemplo utebatur, qui prius spiritus χαρίσματων adimpletus, dein baptismo inundatus fuit, eam certè sic confudisse videatur sed hæc obiter.

§. 13. De eâ autem, quâ *post baptismum perfici* dicebatur is, qui *privatim aut raptim in periculo mortis baptizatus* fuit, b posterior *Eliberitanus* Canon disertè pronunciat, *siquis* (inquiunt Patres) *Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit*, &c. b *Can* 77. c *Vid. Not.* 2. *in Can.* p. 244 E. ex Gracia.

§. 14. Ubi cùm c aliqui Codices legant [*Episcopus*

piſcopus eos &c.] dubitandum non eſt, quin ad alium aliquem vel *Epiſcopum*, vel ſaltem *Presbyterum* in prioribus verbis *Epiſcopo* conjunctum, baptizatus ille à Diacono, adducendus ſit, nec enim ipſe, qui prius baptizabat, *Diaconus*, poſt *perfeciſſe* cenſendus eſt.

§. 15. Si ad *Epiſcopum* ſolùm hæc *baptizandi perfectio* pertineat, ut *Garciæ* Codex exertè legit, plane de *Dallæi* Causâ actum eſt, hoc Judice. (Neque enim aliam lectionem agnoſcet, ſat ſcio vir doctiſſimus, ſi attenderit, nullam aliam vocem verba iſta *perficere debebit*, ſpectare poſſe.) Si verò Concedamus *Presbyterum* hic etiam, ut in prioribus verbis, *Epiſcopo* conjungendum eſſe, cùm tamen ad baptiſmum legitimè, non tamen ità plenè adminiſtratum apertè reſpiciat *Canon*, nihil adhuc ad *Confirmationem*, quæ omnibus plene baptizatis, vel ſtatim, ut in *adultorum* baptiſmo, vel poſt multorum annorum intervallum, ut in cæteris addi ſolet, pertinuiſſe dicendus eſt.

SECT. VI.

SEXT. VI.

Baptizatus à Laico in periculo mortis, per impoſitionem manuum perficiendus. Eliberitanus Canon XXXVIII. *At hoc nihil ad Confirmationem. Quid in utroque Eccleſia Anglicana ſtatuerit. Confirmationis in eâ ritus, ſperata beneficia. Nihil retentum quod cuivis cordato diſpliceat, Chemnitius à Bellarmino laudatus, quid ſenſerit. Quid Caſſander, & Eraſmus. Catechetica inſtitutio. Ejus Cura in Dordracenâ Synodo, & Concilio Bituricenſi.*

§. 1. PRæmiſſâ igitur hâc duplici *Eliberitanorum* Canonum benedictione, *antè*, & *poſt* baptiſmum, illâ ſine dubio à *Presbytero*, ad præparandum, hâc ſeu ab *Epiſcopo*, ſeu à *Presbytero* ad perficiendum baptiſmum comparatâ, (quarum neutra *Confirmatio* eſt) ſequatur III. *Impoſitio manuum*, quâ *Catechumenus*, a *Laico*, in periculo Mortis, baptizatus, donari, ſi ſupervixerit, jubetur, in alio e juſdem *Concilii* a Canone.

a *Can.* 38. *Concil.* ib. P. 235. c.

§ 2. Ea certè ab *Epiſcopo* peti diſertè præcipitur. *Peregrè*, inquiunt, *Navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in infirmitate poſitum Catechumenum, ita ut ſi ſuper vixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut*

per manus impositionem proficere (ut *Garciæ* editio nova legit, *perfici*, ut prior) *possit.*

§ 3. *Si Proficere*] legatur, ad *Confirmationem* sine dubio attinere Canon censebitur, quæ *Neophytis* ad majorem in fide profectum aspirantibus destinata est. Et tunc in propatulo ratio est, cur ad *Episcopum*, is qui hâc manuum impositione imbuendus est, adduci jubeatur.

§. 4. Sin *perfici*] legatur, non repugnarim ex Canone LXXVII, ubi [*per benedictionem perficere*] modo legimus, interpretandum esse, & de *perfectione baptismi* intelligendum, quam à *Presbytero* (licet ejus Canon non meminerit) cui integrum baptizandi jus & licentia ab Episcopo commissa sunt, rectè postulari & administrari posse non abnuimus.

§. 5. Quarè Causæ suæ non malè consuluit vir Eruditissimus *Dallæus*, qui (hoc ipso Capite, quo de *Hammondo* queritur) *Eliberitanæ* Synodi Canonem nominans, statim *mittendum* duxit, ex quo tamen se demonstrasse pronuntiat. *Latinos ipsos Presbyteros manum imposuisse baptizatis, nedũ ut eos chrismare non potuisse putetur.*]Quæ quidẽ si de *baptismali chrismate* intelligantur, ut *Dallæus* vult, nec quisquam negaverit, qui *Hieronymi*, & *Tertulliani* verbis modo adductis attenderit,) aut si de *baptismi*, vel à *Laico* vel a *Diacono: plebem regente sine Episcopo vel Presbytero* (adeoque ἐν ἀγνοίᾳ τοῦ Ἐπισκόπου) non ita legitimè administrati *perfectione* (ad quam si [*perfici*] non [*proficere*]

ficere] legatur, *Eliberitanus*, Canon respexit) nihil hic novum, aut quod ad Latinorum confirmationem pertineat, aut *Episcoporum προνόμια* quovis modo minuat, licet hoc ad *Presbyterum* pertinere largiamur, cùm sic baptizatos, & Presbyteralium manuum impositione perfectos, *i. e.* in Ecclesiæ gremium completè per baptismum semel receptos, ad *Confirmationem*, & Episcopalium manuum impositionem non statim, sed post lustra aliquot, promoveri, tam notum sit, quàm quod notissimum.

§. 6. Nos certè sub incolumi in *Angliâ* Episcoporum regimine, licet nec *oleo* in *baptismo*, nec *unguento* in *Confirmatione* (quorum nulla in scripturis, aut primævâ antiquitate mentio) utamur, nec *Confirmationem*, ut prius dixi, inter *Sacramenta à Christo instituta*, *& ad omnium salutem necessaria* numeremus, & in baptismo, cujus facultas *Presbytero*, imò *Diacono* conceditur, frontes infantium, in militiæ Christianæ symbolum, signemus, Omnes tamen *privatim* baptizatos, ad *Presbyterum* in Ecclesiâ adducendos monemus, ut si quid legitimæ Sacramenti administrationi deesse intellexerit, ipse adjiciat, nec adhuc ad *Episcopum* perducimus, donec adulti, & in fide Christianâ satis instructi, uberioris spiritus Gratiæ candidati fiant, factâque exomologesi, fideque, quam Christo peregerant, obstricta, & baptismali voto, quod per sponsores iniverant in se solenniter, recepto, benedictionem *Episcopi*

per manuum impositionem impetrent. Ut in Rubrica, & Officio Nostro *Confirmationis* Liturgico baptismati subnexo, videre est. In quo nihil, spero, *Doctissimus Dallæus*, ut ut Latinorum Chrismationi infensus, reperiet, quod aut Sacræ Scripturæ adversum, aut ab antiquæ & Catholicæ Ecclesiæ praxi alienum culpetur.

§. 7. Huic sanè spei meæ non parum favent, a p. 1. 2. quæ in Disputationis a Limine de *Matthæi Galeni Confirmationis* Definitione [*quod sit Sacramentum, quo, ad Episcopalem manuum impositionem, benedictionemque, cuique pro suâ capacitate infundatur Spiritus Sanctus*] Vir Doctissimus monuit, *Galenum* scil. *hominem callidum, & in Scripturis Manuum impositionem inveniri, Unctionem nusquam occurrere scientem, sic sibi maturè considendum putasse, ritumque hunc, non qualis ex publico Ecclesiæ Romanæ Usu, Librisque ritualibus peragitur, definiisse, sed qualem ipse ad Disputationis suæ compendium esse optaret, descripsisse*] Nos certè Reformatæ, nec dum deformatæ Ecclesiæ Anglicanæ filii hoc *Compendium* (si placet, certè non fraudem recentiorum, sed) consultissimam veritatis, & antiquæ simplicitatis tutandæ & retinendæ artem, à matre Nostra sic à teneris, ut ajunt, Unguiculis edocti sumus, ut ipso *Galeno* callidiores meritò audiamus, qui nondum (quod ab illo factum est) in *Sacramentorum* Classem evecta *Confirmatione*, Unctione insuper omissa, ad unicam Episcopalium manuum impositionem, & bene-

benedictionem (præeunte tamen solenniter *Catechesi*, & infantium institutione, in fide, votique baptismalis obligatione, ut & professione publicè recitata, cum paterna *Episcopi* exhortatione ad constantiam, & ardenti divini spiritus invocatione) ritum integrum reduximus, simulque pristinæ integritati & vigori restituimus, A quibus si nil aliud, saltem Promissa Christi sub novo Fœdere fidei, & obedientiæ, καλλίστῃ συνωρίδι, passim facta, ut & illa tollentibus alacriter benignum & gratum ipsius jugum, confitentibus ipsi coram hominibus, & petentibus quævis ipsius nomine, non uno in loco cauta, & tantum non mancipata, spem certè satis amplam faciunt, uberrimos fructus ex hoc ritu subinde redituros, si non peccata & negligentiæ Nostræ (quod heu nimis frequenter & importunè experimur) obicem injicerint, εἰ μὴ (ut a *Zonaræ* verbis utar) διὰ ἔργων φαυλότητα ἡμεῖς ἑαυτοὺς ταύτης ἀποξενώσωμεν, *si non operum nostrorum improbitate aditum propriæ felicitati hac ex parte præcluserimus.*

a *In Con. Laodicen.* 48.

§. 8. Hoc quippe solenni ritu, hac nec nimiâ nec inani Cæremoniarum pompa, divinæ gratiæ Candidatus monetur, ut *Evangelii* χρηστὸν ζύγον ab alienis (nimirum sponsorum) manibus in proprios humeros susceptum, leniter, & suaviter, & constanter ferat, simulque solenni exomologesi fidem suam in frequenti Cætu, testantibus *Deo*, Angelis, & hominibus, ore profitetur, ardentissimarum insuper Antistitis, Presbyterorum, totiusque Ecclesiæ precum particeps redditur; Quæ omnia

omnia vana, & ſupervacua futura quiſquis ſibi aut aliis perſuaſerit, eadem ille opera Chriſtianæ Religionis Sacratiſſima myſteria ceu nugas & figmẽta, atque inutilem pompam ludibrio habiturus eſt.

§. 9. Porrò quòd in his omnibus, ab Eccleſia noſtra inter Politiæ ſuæ leges fideliter retentis, utinam & in Praxi non minus diligenter cuſtoditis, nihil ſit quod cordatis quarumlibet partium viris diſpliceat, facile ex *Caſſandro*, *Eraſmo*, *Lutheranis* ex *Chemnitio* præcipue comparebit. Is, inquit a *Bellarminus*, *accuratiſſimè omnium deſcribit ordinem Lutheranæ Confirmationis*, quem ut ritum veteris Eccleſiæ utiliter introductum, non ut *Sacramentum* a Chriſto inſtitutum, ad *ſex puncta*, *ſeu gradus revocat*, I. *ut parvuli in infantiâ baptizati*, *cùm perveniunt ad annos diſcretionis*, *inſtituantur in Doctrinâ Catechiſmi*, *& ubi ſaltem principia didicerint*, *offerantur Epiſcopo*, *qui coram Eccleſiâ admoneat puerum de ſuo baptiſmo*, *quid acceperit*, *quid promiſerit* &c. II. *Ut ipſi parvuli confeſſionem fidei & doctrinæ quam didicerunt publice recitent.* III. *Ut de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus interrogentur*, *atque ad ea reſpondeant.* IV. *Ut moneantur ut hac profeſſione fidei oſtendant ſe diſſentire ab omnibus ethnicis*, *hæreticis*, *fanaticis*, *& profanis opinionibus.* V. *Ut gravi exhortatione admoneantur ut in pacto baptiſmi & fidei profeſſione perſeverent*, *& proficiendo confirmentur.* VI. *Ut fiat publica precatio pro illis pueris ut Deus Spiritu ſuo Sancto illos gubernare & confirmare*

a *Exam.* 2. *part.* p. 320.

b *De Sacr. Conc. firm.* c. 1.

confirmare dignetur in hac fidei profeſſione, additâ ſimul manus impoſitione.

§. 10. *Caſſander* quidem a *Sacramenti* voce utitur, ſed non eo ſenſu, quo a nobis rejicitur, nec enim aut *Chriſto* Authori imputat, aut omnibus ad ſalutē neceſſariam ſtatuit: *Religioſiſſime* autem *ſemper in Eccleſia obſervatam, & per ſolos Epiſcopos adminiſtrari conſuetam, quemadmodum in Apoſtolica Eccleſia ſoli Apoſtoli, in quorum vices Epiſcopi ſucceſſerunt, baptizatis manum imponebant, ut ad eorum preces Spiritum Sanctum in donis viſibilibus acciperent.* De quo quidem *diſſidium nullum futurum ſperare* ſe profitetur vir optimus, *ſi ab Epiſcopis eâ quâ decet gravitate adminiſtraretur,* (in ea vero opportunum *Reformationi* locum eſſe quis negaverit?) *nec enim in conventu Ratiſbonenſi de eo controverſum fuiſſe.* De *tempore* interim *Confirmationis* fatetur videre ſe *bonis viris utriuſque partis non diſplicere, ſi ejus uſus ad ætatem paulo adultiorem differatur, vel hanc certe ob cauſam, ut parentibus, ſuſceptoribus & Eccleſiarū præfectis occaſio detur pueros de fide, quam in baptiſmo profeſſi ſunt, diligentius inſtituendi & admonendi. Hujuſmodi ſanè inſtitutionē ſeu Catechiſmi explicationem in pueris fieri debere, & veteres præcipere, & recentiores ex utraque parte conſentire, ex Auguſtino*, & *Walafrido*, & *Ruardo Lovanienſi* ſatis confirmavit, *exigendum igitur à paſtoribus ut curæ illi diligentiſſimè incumbant*, quod cùm monuerit *Calvinus*, *Ruardus* vehementer approbavit.

a *Conſult. c. 9. de Confirm.*

vit. *Admonitio*, inquit, *Sancta & pia est, quam observari omnes desideramus.*

§. 11. Hæc eadem ut ad rectum usum *Confirmationis* imprimis spectantia sæpe monuisse *Erasmum* a *Grotio* discat, qui alias non notavit. Quanto vero cum detrimento Ecclesiæ, quanto & bonæ vitæ, & ipsius Christianæ fidei dispendio, *Catechetica* Institutio, cum *Confirmatione*, exoleverit, si aliunde copia non suppeteret, satis docebant *Dordracenæ Synodi* querelæ, & (necessaria quidem illis visa, utut aliis nova, & inaudita) *Helveticorum* pastorum disciplina, qua *sponsalibus* ineundis interdicebantur, qui *Catechesin* non didicerant. Nec est quod *Helvetii* de invento hoc glorientur, In *Concilio Bitur: Gallicano An.* 1584. celebrato, hæc habentur, *comminentur* (Parochi) *neminem hoc Sacramento* (Confirmatione) *non insignitum se ad Eucharistiam & Matrimonium admissuros.* Nec enim alia, ut videtur, adversus fœdissimam ignorantiam, & ferinam quasi barbariem via restabat, nisi maritalis, Tori fitis in subsidium vocaretur. Sic certe *Helvetia* quodamodo in *Orientem* migrante, cui *vetus mos fuit*, inquit b *Grotius*, *conjugium contrahentibus manus imponere.* Nec enim hoc ritu, sine injuria fraudandus erat *Thalamus*, cui *Catechesis* adeo, solenniter præcurrebat. Sed illud obiter, in orbitam redeo.

a *Via ad pacem*, p. 291.

a *Via ad pacm.* p. 291.

CAP.

CAP. III.

Examinatio eorum quæ Dallæus adduxit ut Impositionem Manuum meram Baptismi ceremoniam esse persuaderet.

SECT. I.

Principalis Quæstio proponitur. Quid de ea Scripturæ, ex interpretatione Chrysostomi & Cypriani. Unctionis mentio in Scriptura. Nihil concludendum ex eo, quod Baptismo adjungebatur eodem tempore.

§. 1. HIS extra omnem dubitationis aleam sic positis, ad reliqua progrediamur, & cum *Dallæo*, si placet, penticulatius trutinemus, (an quod ille gnaviter contendit) impositio manuum; quâ neophyti, seu cum, seu sine *Chrismatis* additione, benedicebantur, *mera baptismi Ceremonia*, ab initiationis lavacro nullatenus distincta, inter Universos ab ipsius Ecclesiæ primordiis Christianos, semper habita fuerit.

§. 2. A *Scripturis* ordiamur, quæ non solum *Act:* VIII. post acceptum à *Philippo* Baptismum, *Apostolos* Petrum & *Johannem* ad *Samaritanos* in hoc delegatos referunt, ut recens baptizati, fœcundiores Spiritus Sanct. Latices, Uberiora χαεισματα hac manuum apostolicarum impositione imbiberent, (quod idem & a *Paulo* factum legimus

legimus *Act.* XIX. qui baptizatos in nomine *Iesu* *v.* 4. statim *manibus impositis* perficiendos curavit) sed & a *baptismis* (i. e. unico Christianæ Ecclesiæ Baptismo) *Impositionem* hanc *manuum* diserte distingui testantur, ut videre est. *Heb.* VI 2.

§. 3. In hanc sententiam interpretanda esse hæc sacri codicis commata, inter alios *Chrysostomus* testabitur. Is enim Commentariis ad *Act.* VIII. baptismum *Samaritanis* a *Philippo Diacono* indultum, sic ab impositione manuum (non qua (*a*) *Ministri ordinabantur*, sed qua *Spiritus Dona* conferebantur) divisit, ut illam *Diacono* communem, hanc τῶν Ἀποστόλων ἐξαίρετον *Apostolis peculiarem* potestatem fuisse pronuntiet. (*b*) Φίλιππος (inquit) βαπτίζων Πνεῦμα τοῖς βαπτιζομένοις οὐκ ἐδίδου, οὐδὲ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα ἦν. *Philippus baptizans spiritum baptizatis non dabat, potestatem enim non habuit, Hoc enim donum solorum Apostolorum erat.*]

αδύναμιν ἔλαβον ποιεῖν σημεῖα, οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις. to. 4. pag: 714. l. 9. *b* Ibid: l: 10.

. 4. Vides *Impositioni manuum* spiritum imputatum, qui in baptismo non dabatur, vides baptismi jus *Diacono* datum, imponendi manus προνόμιον solis *Apostolis* (quibus *Episcopi* succedebant) reservatum, nec igitur hanc illius Ceremoniam meram esse quæ non solum ministris, sed & effectibus tam late se jungebatur.

S. 5. In prioribus id clarius proposuerat Πνεῦμα ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως, τόδε τῶν σημείων

ὑπῶ ἦσαν λαβόντες. *Spiritum remissionis acceperant*, (in baptismo sc.) spiritum *signorum nondum acceperant*, ille vero impositioni manuum debendus erat.

§. 6. Ad hanc itidem Spiritus largitionem non tantùm *Act.* XIX. 5. Sed & *Heb.* VI. 2. accommodanda censuit idem Author [Ἐπιθέσεως χειρῶν inquit, οὕτω γὰρ τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον, *impositionis manuum*, *Sic enim spiritum accipiebant*] (quam interpretationem ab eo mutuatus est *Theophylactus*, ἐπιθέσεως χειρῶν, δι' ὧν τὸ πνεῦμα ἔλαβον, ὥστε προφητεύειν, καὶ θαύματα ποιῶν *Impositionis manuum per quas Spiritum Sanctum accipiebant ut & prophetarent, & miracula facerent*, ideoque à *baptismis*, *i. e.* Unico Christianorum lavacro a (οὐκ ὡς πόλλων ὄντων τῶν βαπτισμῶν, ἀλλ' ἑνὸς, *non quod plures baptismi essent, sed ab uno baptismo*) distinxit. l. 28.

§. 7. Ab hoc *Apostolorum* Archetypo, sequentium temporum praxim non deviasse, testantur fusè Patres: Consulatur præ aliis *Cyprianus*. *Ep. ad Jubaianum*, ubi ex ipsius ad unum adversariorum ejus argumentum responsione, (eadem posteà ab c *Augustino* approbata) luce clarius redditur, hunc in Ecclesia ritum ad hoc *Apostolorum* exemplar, si quid illi viderint, amussitatum præsumi. Locum integrum opportunius posthac reponendum curabimus. Nec igitur in *Florentinæ* Synodi Decretis illud culpari potest, quod statuerit, *istius manus impositionis loco, per quam Apostoli*

b *Ep.* 73.

c *de Bapt. Con. Don.* l. 3. c. 19.

postoli Spiritum Sanctum dabant, in Ecclesia Confirmationem adhiberi.

¶. 8. At & *Unctionis* mentiones non raro in *Scripturis* reperiuntur, præcipuè II. *Cor.* 1. 22. & 1. *Jo.* 2. 27. Eæ certe, non dubitarim, figuratæ, quibus non visibile *Unguentum*, sed invisibilia Spiritus dona significantur, sic tamen, ut allusionibus istis permoti Antiqui Patres, in invocando super neophytos Spiritu S. cujus dona *Unctionem* ab Apostolis vocitari intellexerant, *Unguentum* ipsum, quod ad varios Usus Apostolos usurpasse videbant, adhibendum putarent, & *Episcopalium* manuum impositioni adjungendum: Hinc illud *Cyrilli* a Κατηχ. γ. plurima Scripturæ loca ad *Chrisma* suum accommodantis, illud præsertim *Johannis*, quo *Unctionem nos omnia docere* scripsit, τοῦτο φυλάξατε ἄσπιλον, πάντων γάρ ἐστι τοῦτο διδακτικὸν, *Hoc incorruptum servate, de omnibus enim docebit*, καθὼς ἀρτίως ἠκούσατε τοῦ Μακαρίου Ἰωάννου λέγοντος, καὶ πολλὰ περὶ τούτου χρίσματος φιλοσοφοῦντος, *sic ut paulo ante ex Johanne audivistis, cum multa de chrismate hoc philosopharetur.* Hinc illæ etiam in sacris literis Ritus ipsius appellationes, *Confirmatio*, *Consignatio*, *Chrismatio*, *Arrah*, singulæ enim ex II. *Cor.* 1. 22. adeò dilucide desumptæ videntur, scil. [*qui Confirmat nos Deus, & unxit nos, & signavit, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*] ut de hoc ipso *Confirmationis* Ritu Antiquorum non pauci interpretati sint.

a *Edit. Morel.* p. 526.

b. Cant. 14. p.

SECT. II.

SECT. II.

Laodicenus Canon XLVIII. *Quàm arguta Dallæi conclusio & distinctio. Voces* φωτιζόμενοι *&* βάπτισμα *ab argutiis ejus vindicatæ. Quæ eodem tempore sunt aut tractantur, non ideo sunt eadem. Loca Theodoreti & Gregorii Nazianzeni examinantur.*

§. 1. NOn est animus ea singula minutiùs sectari, quæ *Spalatensis, Blondelli*, & suo penu instructissimus *Dallæus*, ex antiquorum monumentis conquirenda, & consarçinanda putavit; ut rem planè secus, inter *Græcos* præsertim, se habere persuaderet. Istis omnibus & singulis illud unum reponi sufficit, ea quidem latè distingui posse, quæ eodem nonnunquam die, aut horâ administrari perspiciuntur, nec enim quicquam ad veri speciem minus accedere, quàm si quæ eodem tempore fiunt, ea statim eadem fuisse, unumque alteri aut appendit umbra, aut adjici ut Ceremonia mera, censeatur.

§. 2. De *Laodiceno* Canone XLVIII [ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους κατὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, *Illuminatos post baptisma unguento Cœlesti liniendos esse*] mira planè sunt, quæ post *Blondellum* commentatus est vir Doctissimus. *Hîc*, inquit, *baptismi ceremoniam fuisse Chrismationem Synodus apertissimè docet, quod* τοὺς φωτιζομένους *qui illumi-*

nantur, hoc est, *baptizantur, sive initiantur Christianismo, eos decernit* χρίεσθαι, *ungi sacro chrismate; His enim verbis significat* τὸ χρίεσθαι *ungi, partem fuisse* τοῦ φωτισμοῦ *illuminationis, sive initiationis, ita ut initiatio, quo rite perficeretur, Chrismate veluti consignanda ac consummanda esset. Hæc*, inquit, *omnino vis verborum istorum est. Si aliud voluissent Patres, haud dubio dixissent* ἔτι δεῖ τοὺς πεφωτισμένους χρίεσθαι, *eos qui baptizati sunt, chrismandos esse, non autem, in præsenti* φωτιζομένους, *illos qui illuminantur.*

§. 3. Porro ne quis novam hanc interpretationem rejiceret, propter vim præpositionis μετὰ, quæ sensum planè diversum suadere videtur, (neque enim in ipso baptismo ungi videtur, qui μετὰ βάπτισμα χρίεται) id metuens *Dallæus* sibi satis sollicitè cavit, excogitatâ distinctione hâc satis certè argutâ, *Sciendum*, inquit, *est baptismi vocabulum duobus modis sumi, vel pro toto initiationis ritu, vel pro solo mersionis aut tinctionis actu, secundo hoc sensu, non priori*, inquit, *baptismatis nomen hic Usurpabant Laodiceni, dum aiunt*, τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι, *eos qui illuminantur, ungi post baptisma*, i. e. *post tinctionem seu mersionem, non autem post initiationem. Nam si hoc intelligerent* φεφωτισμένοι *essent, qui unguntur, non* φωτιζομένοι, *quod aiunt Patres.*]

§. 4. Videtis ad quas incitas redactæ, quo demum pharmaco sanitati restituendæ, aut sublevandæ, quibus argutiis & λεπτολογίαις statuminandæ

nandæ sunt Universæ viri optimi Fortunæ. Certe si *Laodiceni* Patres aut *baptizatos* intellexerint, cũ φωτιζομένους edixerint, aut *initiatos* crediderint, de quorum post baptismum *Unctione* Legem exertè tulerint, De *Dallæi* causâ integrâ conclamatum est. Quàm verò hebes, & supinus Canonis hujus Scholiastes *Zonaras*, qui pro φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα] *Confirmatos* simpliciter reposuit, nec curiosiùs investigandum censuit, an *post* peractam integram *initiationem*, an tantummodò post *tinctionem* ungendos præceperint Patres? Quàm parum hanc argutandi artem calluit *Cyprianus*, qui * *ungi necesse esse* eum dixit (non qui illuminatur aut initiatur, sed) *qui baptizatus est*, in præterito, & **super eos qui in Ecclesia baptizati erant, & legitimum & Ecclesiasticum baptismum* (is certè est plusquam simplex *tinctio*, integra nimirum initiatio & φωτισμὸς) *consecuti fuerant, oratione pro iis habitâ, & manu impositâ, Invocatum & infusum Spiritum Sanctum* affirmat. * *Ep.* 70. * *Ep.* 72.

§. 5. Nobis certè tam fortuitis rationum ponderibus disciplinam, & Sanctiones Ecclesiasticas motari, & circumgyrari nondum persuasum est, aut ex his & talibus aruspicinis, vel auguriis Theologicam veritatem statuminari.

§. 6. Cessit interim satis feliciter, quòd ab ipsis *Laodicenis* Patribus edocti simus, quid de voce φωτιζομένοις] censendum sit. Audiatur *Canon* XLVI. Δεῖ τοὺς φωτιζομένους τὴν πίστιν ἐκμανθάνειν ἐν τῇ πεμπτῇ τῆς ἑβδομάδος παρά τινι τῶν ἐπισκόπων ἢ πρεσβυ-

πρεσβυτέροις. *Oportet eos qui illuminantur fidem discere, & quintâ hebdomadis feriâ Episcopo renuntiare vel Presbyteris*] Sic ut *Can.* XLVII. οἱ ἐν νόσῳ παραλαμβανόντες φώτισμα, καὶ εἶτα ἀναστάντες, *qui in morbo baptismum accipiunt, & dein convalescunt, fidem ediscere debent, & scire quod divini muneris participes facti sunt*] quod iis omnino incumbit non in ipso baptismo, sed post baptismum, cum à morbo incolumes facti sint. Nullus igitur dubitandi hic locus est, quin quod Canone immediatè sequente de iisdem φωτιζομένοις additur, eodem planè sensu intelligendum sit, eos nempe μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι, *post baptismum ungi* debere, non autem illud post *tinctionem*, aut *mersionem* solam, sed disertè post φωτίσματος μετάληψιν, *post initiationis participationem*, post integrum scilicet baptismum, in quo τῆς θείας δωρεᾶς κατηξιώθησαν, *Can.* XLVI. *divini muneris participes facti sunt.*

§. 7. Quid verò, si qui *illuminantur*, illi eodem tempore post baptismum *ungi* juberentur, præsertim cum aut adultis, & catechumenis, aut in mortis periculo positis *Lavacrum* posceretur? In tali enim rerum cardine omnia benignè ab Ecclesiâ fidelium votis, & ardentibus desideriis indulgeri, quæ ipsis quovismodo subsidio futura crederet, nulla invidia erat.

§. 8. Non tamen confundi statim, aut eadem plane esse, aut alteram alterius *Ceremoniam meram,*

ram, aut *partem* ut contendit *Dallæus accidentalem, ritualem*, aut *adjectitiam*, quæ eodem aut die aut horulâ, cum occasio postulet, aut permittat, administrari jubentur, hoc uno (si alia non suppetant) argumento concluſum putamus.

§. 9. Nemini certe inauditum est aliquandiu *Cœnam* Domini recens baptizatis, ipso *Baptismi* die & horâ, communicatam fuisse, nec tamen, spero, inter *Baptismi* Ceremonias numerabitur *Eucharistia*. Eandem certe nos, ut ab antiqua Ecclesia didicimus, *Sponsalium* solennitati, cum in Ecclesia celebrantur, adjungi districtè mandamus, Nec tamen quenquam adhuc inter petulantissimos Liturgiæ nostræ sugillatores, adeo morosum aut tetricum experti sumus, qui Ecclesiastico ritui (nec enim Matrimonium inter *Sacramenta* novi fœderis numeramus) venerandum *Eucharistiæ* Sacramentum nos subjecisse suspicetur, aut qui queratur eam à nobis tanquam nudam *Ceremoniam, Matrimonio* ancillari jussam esse.

§. 10. Nec certe firmius ex eo argumentum nectitur, quòd in tractandis, vel describendis *Ecclesiæ* ritibus, Baptismo statim subjungatur *chrismatio*; æque enim manifestum *chrismationi* cœnam, imo nonnunquam (omissa & intacta *chrismatione*) *baptismo cœnam* succedere, ac *Baptismo* chrismationem.

§. 11. Quod de *Laodiceno* jam *Canone* diximus, de geminis etiam Theodoreti locis dicendum est, quæ post * Spalatensem * Dallæus ad firmandam hypothesin suam trahi posse confidit. Primum ex *Comm:* ad *Cantica* c. 1. 2. [1] Ἀνάμνησον σαυτὸν τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελούμενοι μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ Τυράννου, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν οἷονεὶ σφραγίδα τινὰ βασιλικὴν δέχονται τὸ πνευματικὸν μύρον τὸ χρῖσμα, ὡς ἐν τύπῳ τοῦ μύρου τοῦ ἀοράτου τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ χάριν ὑποδηλοῦσι. *Memor esto mystagogiæ sacræ, in quâ qui initiantur post Tyranni abnegationem, & veri Regis professionem, Spiritualis unguenti chrisma, tanquam regalé aliquod sigillum recipiunt, in unguento, tanquam in imagine invisibilem Spiritus Sanctissimi gratiam percipientes.* Secundum de *Novatianis* dictum, τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων βαπτιζομένοις τὸ παράπαν τὸ θεοσήμειον χρῖσμα, *iis qui ab ipsis baptizantur sacro sanctum chrisma non offerunt.*]

§. 12. Hic certè utrobique iis qui *baptizantur*, aut initiantur *chrisma* offerendũ, & susciendum supponitur. At quis inde concluserit meram baptismi *Cæremoniam* aut *partem* esse, aut *inter baptizandũ*, ut *Dallæus* contendit, *adhibitam*, aut aliud quicquam à *Theodoreto* innui, quàm quòd præter baptismum à *Christo* institutum, suus etiam *chrismati* locus sit, Ecclesiastico ritui, ad invocandam Spiritus Sancti Gratiam parato, qua ad votum baptismi, aut officium viri Christiani fideliter

* *De Reb. Eccles.* l. v. c. 5. n. 21.
* *De Conf.* p. 102.
[1] t. 1. p. 1002.

liter præstandum, præ omnibus indigemus Christiani.

§. 13. Certè nihil in *Evangelio*, & Patrum scriptis celebrius & notius est, quàm *fidelibus*, i.e. Christianis militibus, qui fidem suam Christo obstrinxerunt in baptismo, adeoque illis qui jamjam baptizati sunt, Spiritum Sanctum, aut invisibilem Spiritus Gratiam à Christo promissam esse, eam verò chrismate visibili adumbrari, nec igitur incommodè hoc externum signum, in invocandis per Episcopalis manus impositionem & benedictionem, Spiritus sancti donis, constantiâ præsertim, & perseverantiâ, ut sigillum aliquod regale usurpari. Hoc verò non *baptismi* ad remissionem peccatorum, sed *Confirmationis* ad impetranda Spiritus dona, & professionem in Baptismo factam obsignandam solenniter adhibitæ proprium esse quis diffitebitur?

§. 14. At sperat * *Dallæus* aliquid sibi exinde lucri exoriturum esse, quod *Theodoretus dixerit, Tyranni abnegationem & Regis confessionem chrismate velut obsignatam esse*, & hinc statim concludit, &c. * p. 203.

Ergo & ipsa eodem quo Regis confessio pertinuit nimirum ad Baptismum.] Fateor lubens ipsam abnegationem eodem pertinere ac confessionem, utriusque enim in baptismo locum fuisse, videatur *Author Constitutionum* L. VII. c. 42. cujus titulus Ἀποταγὴ πρὸς τὸν ἐναντίον, καὶ συνταγὴ πρὸς τὸν Χριστὸν, *Renuntiatio ad diabolum, & ascriptio*

ad

ad Christum, At qua tandem machinâ hinc extorserit *chrisma* ad *Baptismum* pertinuisse? Illud certe probandum erat, At Conclusio *Dalleana* de *ipsâ*] i.e. *Abnegatione* procedit, non de *ipso*, i.e. *chrismate*.

§. 15. Nec verò si [*ipsum*] legerimus, *Dallæus* quicquam proficiet. Nihil enim manifestius est, quàm quòd ea omnia quæ in baptismo spondentur, in *cœna* Domini, imò in *pœnitentiâ* obsignentur; quæ tamen *Baptismi ceremoniæ*, aut *partes* proculdubiò non sunt: Cur non igitur in *Confirmatione*, idem præstetur quam ideo ἡ ὁμολογίας βεβαίωσιν, *professionis confirmationem* aut *obsignationem* dictã scimus quod in illa ea omnia quæ in *Baptismo* per sponsores suscepimus, *Chirographo* plane nostro, aut idiographo obsignentur, & muniantur? Hæc verò post baptismum, non inter baptizandum commodissimè fieri, quæ, quæsumus, invidia est?

* *to. 1. p. 646. Orat. XL.*

§. 16. Nec certè multò feliciùs processit, quod de loco * *Greg. Nazianzeni Dallæus* molitus est. Verba *Gregorii* primò proponenda, dein rationes *Dallæi* recolendæ sunt.

§. 17. De Baptismo non differendo multa *Gregorius*, ex periculorum quibus vita humana cingitur multitudine, Εἰ δὲ, inquit, προκαταλάβοις σεαυτὸν τῇ σφραγίδι, καὶ τὸ μέλλον ἀσφαλίσαι τῷ καλλίστῳ τῶν βρηθημάτων καὶ στερροτάτῳ σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι καὶ τῷ πνεύματι, ὡς Ἰσραὴλ πάλαι τῷ νυκτερινῷ καὶ φυλακτικῷ τῶν πρωτοτόκων αἵματι

ματι, καὶ χρίσματι, τὶ σοὶ συμβήσεται, &c. *Si verò sigillo te præmunieris, & pulcherrimo, & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, & animum & corpus chrismate & spiritu signans, ut Israel olim nocturno, & primogenitos custodiente sanguine, & chrismate, quid tibi accidet?*]

§. 18. Hic certe ut alibi non rarò, *σφράγις sigillum,* simpliciter positum, de *Baptismo* intelligendum est, quidni verò *Chrisma Spiritui* sociatum, quo & *corpus & anima signantur*, & *firmantur*, de *Confirmatione* explicanda erunt? Illi certe commodissime conveniunt, quæ de sanguine, quo *Israelitarum postes liniebantur*, de *primogenitorum custodiâ*, de *consignatione*, de *præsidio* firmissimo, adjecit *Nazianzenus*, quorum singula optime conspirant, ut de *Confirmatorio Chrismate* (*Baptismali* sigillo, ex more, statim accedente) dictum statuamus.

§. 19. At è contra *Dallæus baptismũ* agnoscens, *Confirmationem* negat, & ut *figmentum* rejicit, his tribus argumentis fretus, 1 *Authoritate Billianorum Marginum*, in quibus *ad hunc locum annotatum est, Unctio baptismatis, & quod Gregorius dixerat* [*præmuniri signaculo, Billius optimè vertit Baptismo*] Verum 1. *Billiani* margines, qui facilè & falli & incautos fallere possunt, nos neutiquam constringunt, qui *Dallæo* sine *Billii* suffragio æquè credimus, ac *Billio* ex suo cerebro sic monenti. Imò ex hinc discimus quo lenocinio adductus

adductus *Dallæus*, hæc omnia ad *baptismum* trahenda putaverit, eodem certè, quo *Bellarminus*, *sigillum* Domini apud *Eusebium*, *Christoforsoni* insertione allectus, ad *Confirmationem* deflexit, quod, ut * *Dallæus* rectè monuit, ad *Baptismum* attinebat. Nec enim *Billiano* margini contra *Confirmationem* magis fidendum est, quàm *Christoforsonianæ* Paraphrasi pro *Confirmatione* contra *Baptismum*.

* p. 109.

§. 20. II. Quod de baptismo per *signaculum* intelligendo notavit, nos lubentes concedimus, nec enim Σφραγίδα de *Confirmatione*, sed de *baptismo*, interpretamur, ut *consignationem*, *firmissimum præsidium*, *Chrisma*, & *Spiritum*, non de *Baptismo*, sed *Confirmatione*.

§. 21. At II. addit *Dallæus* idem clamare *Orationis titulum* [*Oratio in sanctum Baptisma*] ipsumque *Gregorium*, qui *initio statim monet de baptismo se & beneficio hinc ad nos manante, breviter disserturum, unde concludit Unctionem, quam hic memorat, Baptismi esse, auxilium beneficii partem, quod ex baptismo manat, nec aliter rem habere posse, nisi Gregorium mentitum esse dixeris, & quæ dixit, alia ab iis esse contenderis, quæ se dicturum professus erat.*] At manifestum est titulum, ut denominationem quamcunque à *potiori* rectè sumi, nec tamen vetare, quò minùs de *Baptismo* dissertationem instituens, verba quædam de *Cœna* aut *Pœnitentiâ*, quidni etiam de *Confirmatione* faceret, certè *Dallæus* ipse librum suum de *Confirmatione*

firmatione inscripsit, statimque initio de *confirmatorio Latinorum chrismate* se dicturum præmonuit, nec tamen pauca de *Baptismo* adjecit, nec enim ullis scribendi legibus cautum putamus, ut qui ἔργον suum bellè prosequitur, nullum unquam πάρεργον, nullam parenthesin admisceat?

§. 22. Verùm III, inquit *Dallæus*, *Gregorius ipse hoc musteum Sacramentum liquidò explodit, dùm baptismum, præter alia nomina, disertè scribit vocatum fuisse* χρίσεια & Σφραγῖδα *chrisma & signaculum, rationem nominis addens, qui sacer & regius est, hujusmodi enim ea erant quæ ungebantur*] At (omisso *signaculo*; quod de *baptismo* lubentes interpretamur) respondemus, I. *Chrisma* illud, quod inter *Baptismi* titulos alibi reposuerat * *Gregorius*, non de *Unctione* propriâ, sed *metaphoricâ*, ex Scripturæ idiomate intelligendum esse, qualitèr Christiani omnes *Reges* & *Sacerdotes* dici solent, non propriè, sed figuratè; hic verò, cùm *chrismati* spiritus subnectatur, illoque *consignari corpus*, ut *spiritu anima*, ad modum *Israelis*, cujus *postes sanguine liniebantur*, *Chrisma* propriissime sumi necessum est.

*p. 638. D.

§. 23. II. Nil prohibet eundem titulum diversis ritibus adaptari. Sic enim alia non pauca, quæ baptismo *Gregorius* æquè tribuit, non incommodè *Eucharistiæ*, &c. applicari agnosces. Inter appellationes *Baptismatis* apud *Gregorium* reperies

reperies, δῶρον, χάρισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, πᾶν ὃ τι τίμιον, *donum, Gratiam, incorruptionis indumentum, & omne quod honoratum aut excellens est*, Quæ quidem ut *baptismo*, sic & aliis Ecclesiæ ritibus ubique tribuuntur. Nec certè ratio nominis reddita quicquam probat cùm, ut dictum est, de spirituali *regno* & *sacerdotio* intelligatur *chrisma* illud, quod inter *Baptismi* titulos recensebatur, hic verò ad *præsidiū* parari jubeatur, ad modum *sanguinis*, qui *primogenitos Israelitarum* tuebatur, & sic *Confirmationem* disertè respiciat.

§. 24. Videt *Doctissimus* vir, quàm instabilibus fulcris nitatur hypothesis novitia, quàm non cogentibus argumentis confidat se nobis persuasurum meram baptismatis *Ceremoniam chrisma* antiquorum fuisse. Certè nihil tale *Laodicenus* Canon, nihil *Theodoretus*, aut *Gregorius* testantur, quibus præcipuè sese stabiliisse videtur *Dallæus*: Nec enim aut si baptismo *Confirmatio* statim accesserit, aut si in ipso ungerentur *Baptismo*, quâvis ratione sequetur, aut nullum esse *Confirmatorium chrisma*, aut nullum sine *chrismate* Episcopalium manuum impositionem, & benedictionem, quâ unicâ contenti, *Confirmationis* Ritum celebrari legitimè posse non dubitamus.

SECT. III.

SECT. III.

Pseudoclementis doctrina ut Dallæo neutiquam faveat. Oleum, quo aqua sanctificabatur, à Chrismate differt.

§. 1. AT nec in iis quæ adduxit vir Doctissimus vestigia satis conspicua nobis desunt, ex quibus disjungi planè ea ipsa dignoscamus, quæ ille studiosissime in unum compingenda curavit. De *Pseudoclemente* idem, quod certè antè eum *Spalatensis* de *Repub. Eccles.* L. v. c. 5. pronuntiat, *Neminem ipso clarius docere Chrismationem ævo ejus ex Ceremonialibus baptismi ritibus unum fuisse.* At consulenti locum res adeò clara non est, De *sacro oleo*, certè agnoscimus ejus usum in *baptismo* fuisse, imò illud planè *lotioni* præcurrisse, ut aqua hoc ritu sanctificaretur, *Spiritu Domini* sic *descendente super aquas.* * Const. l. 3. c. 16.

§. 2. Illud ex Libro VII. c. 43. clarius est, quàm ut de eò dubitari possit, ubi de *oleo mystico*, quatenus illud à *chrismate* mystico, cujus descriptio sequitur, c. 45. distinguitur, dictum reperies, Εὐλογεῖται εἰς προπαρασκευὴν τοῦ βαπτίσματος, *ad præparationem baptismi benedicitur*, & iterum προπαρασκευὴν ὁμολογίας βαπτίσματος, *præparationem Confessionis baptismi*,

ὥστε

ὥστε τὸν χριόμενον — ἄξιον γενέσθαι τῆς μυήσεως — *ut unctus dignus initiatione efficiatur.* Post hanc *olei mystici* unctionem, εἶτα ἔρχεται εἰς τὸ ὕδωρ, *Postea venit ad aquam*, &c. Hoc itaque *oleum mysticum* non dubitamus ad *baptismum* pertinuisse, imò benedictioni aut gratiarum actioni,
* c.44. περὶ μυστικοῦ ὕδατος, *de* * *aquâ mysticâ*, præcur-
* c.44. risse, post quam demum * sequitur *unguenti Chrisma*, eique subjungitur c. 45. περὶ μυστικοῦ μύρου εὐχαριστία, *de mystico chrismate gratiarum actio.*

§. 3. Sic & hoc L. III. c. 16. jubetur primò *Episcopus* ἁγίῳ ἐλαίῳ τὴν κεφαλὴν βαπτιζομένων χρίειν, *caput eorum qui baptizantur oleo sancto inungere.* Dein βαπτίζειν αὐτοὺς ἐν τῷ ὕδατι, *invocato Patre, Filio, & Spiritu sancto, aquâ baptizare.* Virum Diacono, mulierem Diaconissâ suscipiente, ut decenter, & reverenter fiat *sigillum inviolabile*, i. e. ut *baptismus* honestè, & à quibus decet, administretur. Quibus peractis, μετὰ τοῦτο, *post hoc*, inquit Ἐπίσκοπος χρίετω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ, *Episcopus baptizatos unguento liniat.*

§. 4. E disertâ τοῦ ἀνδρὸς, & γυναικὸς *viri & mulieris* mentione, patet de *adultis* baptizatis Scriptorem loqui, nec mirum igitur, si statim, sine quovis intervallo, adjungatur *Chrismatio*, & de eo intelligantur, quæ L. VII. c. 44. legimus, βαπτίσας — χρισάτω, *cùm baptizaverit, ungat unguento — &c.* Nec tamen hoc in loco tale aliquid

aliquid ex ipsius verbis facile extorseris, qui hoc solùm dixit, Μετὰ τοῦτο ὁ Ἐπίσκοπος, &c. *Post hoc ad Chrismationem procedit Episcopus*, an eadem hora, vel die, vel absente Episcopo, *Presbyter*, non definit.

§. 5. Nondum igitur adeò dilucide ex *Pseudoclemente* hypothesin suam stabilivit vir doctissimus, Imo si sequens *Caput inspiciatur, palam est *baptisma* peculariter ὡς τὸ θάνατον τοῦ Ἰησοῦ, *in* * *mortem Jesu* datum esse, *Aquam* nempe ἀντὶ ταφῆς *pro sepulchro oleum* pro *Spiritu S.* (quo nempe *Aqua*, ut diximus sanctificabatur) τὴν σφραγίδα ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, *sigillum pro cruce.* Bellè hæc quidem cohærent; At non sic τὸ μύρον, *Unguentum* quo Chrismatur, illud enim βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας (unde *Confirmationis* nomen acceptum) *Professionis* (*baptizati* scil.) *Confirmatio.* Hæc itaque quomodo baptismi pars erit, qui ad *mortem* Christi dabatur?

*Cap. XVII.
* Sic & L. VII. c. 44. Θάνατον τοῦ σταυροῦ, οὗ τύπον ἔφθη τὸ ἔλαιον. Mortem in cruce cujus imaginem dedit baptismum.

SECT. IV.

SECT. IV.

Testimonium Cyrilli Hierosol. à Dalleo allatum quàm nihil pro ipso concludat; Baptismi notio quàm varia Dalleo ut hypothesi inserviat, Cyrillus à seipso illustratus.

§. 1. IDem de *Cyrillo Hierosolymitano* dici potest (quem tamen uno baptismi vocabulo utrumque complecti *Dallæus* non ambigit.) Certè *Catechesi mystagogicâ primâ* recens baptizatos alloquitur *Cyrillus*: *secundam* inscribit περὶ βαπτίσματος *de baptismo*, totamque insumit, ut in *mortem Christi* baptizatos monstraret. Tertia περὶ χρίσματος *de chrismate* inscripta, *Unctionem*, quam à Deo habemus describit, sic ut & *quarta* subsequitur, περὶ αἵματος καὶ σώματος τοῦ Χριστοῦ, *de corpore & sanguine Christi*; Quæ tota ad Eucharistiam pertinet. Quinta insuper anacephalæosin instituens sic incipit, Ἐν ταῖς προλαβούσαις συνάξεσιν ἀρκούντως ἀκηκόατε περὶ τοῦ βαπτίσματος, καὶ χρίσματος καὶ μεταλήψεως σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, *de baptismo, de chrismate, de sumptione corporis & sanguinis Christi, satis in superioribus audistis*; singula quidem distinctissimè, & in suas classes dispositа, nec magis *chrismatio* cum baptismo, quàm *Eucharistia* cum utroque confundenda est.

§. 2.

§. 2. Aliud autem ſuadere conatur *Dallæus*, hoc potiſſimùm argumento fretus, quòd *Catecheſin* de *Chriſmate* ſic ordiatur *Cyrillus*, εἰς τὸν βεβαπτισμένους, *In Chriſtum baptizati*, &c. *Quicquid*, inquit, *iſti hactenus ſuſceperant* (*ſuſcepiſſe autem tunc Chriſma* νεοφωτίσους *recens baptizatos, ad quos Concio habita* eſt, agnoſcimus) *uno vocabulo amplectitur, dum eos dicit baptizatos eſſe.*]

§. 3. At doctiſſimum virum, dum hypotheſi ſuæ ſollicitiùs inſerviit, fugiſſe veritas videtur. Nec enim qui *baptizatos* dixit, qui lavacri mentionem fecit, *confirmatos* negavit, aut negâſſe viſus eſt, Imo contrarium plane expreſſit, ut enim primis verbis eos *baptizatos* ait, ſic & proximis ſtatim adjicit χρισθέντας *unctos* eſſe, & adhuc ſignantiùs, tunc eos χρισθέντας *factos* eſſe, cùm *Spiritus ſancti* ἐπέπνευσεν, ſeu *figuram* (χρίσμα ſc. ſuſciperent, utrumque enim ſuſceperant, νεοφώτιστοι hi, ad quos *myſtagogicæ catacheſes* deſtinatæ ſunt. Alia interim (quantum mihi perſpicere licet) *baptizatio*, alia *chriſmatio*, nec enim (quod prædiximus) ſi eodem die, eadem hora adhibebantur, ſtatim eadem fuiſſe recte concluſurus eſt, nec igitur baptiſmi pars, aut ceremonia mera, *chriſmatio*, quam acceperant.

§. 4. Sane * cum *Synodi Laodicenæ* *Canonem modo recitatum laudaſſet *Dallæus* [Δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι τῷ χρίσματι, *eos qui illuminantur, chriſmate ungi oportet.*]—

* p. 189. * Can. 48

ne, quæ post baptismum adhibebatur *chrismatio* alia à baptismo videretur, *baptismum* non pro integro φωτισμῷ, illuminatione, aut initiatione, suis omnibus ex usu Ecclesiæ ritibus constante, sed pro solo *mersionis*, aut *tinctionis* actu strictè sumi voluit, hic vero post * paginam unam aut alteram, urgente scil. & duriùs premente ipsum importunâ hypothesi, vocem βαπτιζομένους (quæ sine dubio priori *baptismi* voce latiùs non patet) plusquam hoc amplissimo sensu intelligendum statuit, ut non tantum integrum φωτισμὸν *initiationem*, sed & *chrismationem* (quam baptismo statim accessisse novimus, sed pauci, ante *Dallæum*, *merum baptismi ritum* æstimarunt) totam absorbeat. Hoc quàm sine omni rationis specie attentaverit, non alio monstratore indigemus, præter ipsum *Cyrillum*, qui ut distinctos innueret, ut dixi, seorsim reposuit, & utrùmque expresse nominavit (nec igitur hoc pharmaco quovis modo indiguit) utrumque separatim definivit *Baptismum* per τὸ ἐν ὁμοιώματι καὶ συσταυρωθῆναι, καὶ συνταφῆναι καὶ συναναστῆναι τῷ χριστῷ, per *similitudinem mortis, sepulchri, & resurrectionis Christi*, quâ baptizati illi *conformes* fiunt in istis omnibus. *Chrisma* verò, quod ut *Christus* ἐλαίῳ νοητῷ ἀγαλλιάσεως ἐχρίετο, τουτέστι πνεύματι ἁγίῳ, ἀγαλλιάσεως καλουμένῳ ἐλαίῳ, διὰ τὸ αἴτιον αὐτὸ τῆς πνευματικῆς τυγχάνειν ἀγαλλιάσεως, *intelligibili exultationis oleo ungebatur, hoc est, Spiritu sancto, exultationis oleo nuncupato, quod sit spiritualis exultationis causa,*

* p. 191.

causa, sic & illi μύρῳ ἐχρίσθησαν, κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι τοῦ χριστοῦ γενόμενοι, *Unguento ungebantur; ut qui Christi consortes, & participes facti sint.*

§ 5. Quid quòd & μύρον τοῦτο οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἄντις εἴποι κοινὸν κατ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίαν τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γενόμενον, *Unguentum hoc non jam simplex, aut post consecrationem, commune æstimari patitur, sed Christi charisma, & Spiritus ejus præsentiam, ipsiusque quasi divinitatis effectricem appellat,* simulque varios, & illustres ejus usus enumerat, ut dum *corpus* φαινομένῳ μύρῳ χρίεται, *visibili unguento liniatur, sacro & vivifico Spiritu sanctificetur, dum in fronte ungantur, à se pudorem abstergant,* quem *primus homo transgressor perpetuò circumferebat,* &c. dum *aures* ungantur, ad *audienda divina mysteria* idonei fiant, dum *nares* imbuantur, illud *Apostoli* occlament *Christi gratus odor est Deo in his qui salvantur.*

§. 6. Ipsum, quæso, authorem æquus Lector consulat, & ad dispescendos hos ritus, satis ex se, satis ex institutione, satis ex effectibus distinctos, omnia apertissimè designata dignoscet.

§. 7. Sic &, cum aliud ageret, Κατηχ. δ. τὸ μυστικὸν αἰνιττόμενον χρίσμα memorat, & *Solomonis* dicto *Eccles.* 9.7. ἔλαιον ἐπὶ κεφαλῆς (ου ἐκχεῖσθω] adumbratum affirmat (ut panem *Eucharisticum* verbis istis immediatè præcedentibus, φάγε ἐν εὐφροσύνῃ τὸν ἄρτον (ου) qualiter & * cum de ipso *in fine,*

* Κατηχ. μυσταγ. γ.

chriſmate ſermo inſtitueretur, ab *Iſaia* vate prædictum monuit, C. XXV. Ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις ὀμεῖται τὸ ὄρος Κυρίου. *Erit in extremis diebus conſpicuus mons Domini, vinum bibent*, & (inter alia) *unguento ungentur.* De quo, inquit, unguento tanquam *myſtico* dixit, *Trade hæc omnia Gentibus, voluntas enim Domini ſuper omnes Gentes.* Omnia certe ad hunc in Eccleſia ſtatuminandum ritum ſatis magnificè compoſita; Quo minus *Baptiſmi* Ceremoniam meram, aut fortuitam quaſi *appendicem* ſomniemus.

SECT. V.

Author Eccleſiaſticæ Hierarchiæ breviter examinatur. Triplex apud eum unctio. Prima Catechumeni ante baptiſmum, ſecunda aquæ baptiſmalis, tertia poſt Baptiſmum in Confirmatione, cui Euchariſtia ſtatim accedit. Τελειωτικὴ χρῖσις, *non fuit in baptiſmo, licet alia fuerit.*

§. 1. REſtat ut de *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* Authore, de quo ſuſè *Dallæus*, (omnia ad hypotheſim ſuam trahi poſſe confiſus) nos breviter diſpiciamus.

§. 2. Nec certe illud jam in dubium vocari optamus, quod * prius diſerte ſtabilivimus, an ſcil. Scriptor ille *Baptiſmale oleum* agnoverit. Fatemur

* *Cap. 2. Sec. 2. §. 10.*

Fatemur lubenter ad eam rem clarissime pertinere, quæ post *trinam catechumeni professionem*, & *sacerdotis benedictionem*, & *manus impositionem*, immediate sequuntur, *lavacro* autem præcurrunt.

§. 3. *Nudato* quippe *Catechumeno*, *Sacerdotes Unctionis sacrum oleum afferunt*, *Hierarcha ungere incipit*, *ter eum signans*, *dein eum toto corpore inungendum Sacerdotibus tradit*; Nec id tantum, sed & *aquam* baptismati dicatam unguento imbuit, τὸ ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τῷ παναγίῳ μύρῳ σωματοειδέστι χύσεσι πλειώσας αὐτὸ, *Aquam sanctis invocationibus consecrat, & trinâ sacerrimi unguenti profusione eam perficit*, &, post alia quædam, *baptizat*. * *de Eccl. Hier. c. 2. p. 117.*

§. 4. Verum peracto *baptismate*, alius adhuc *chrismatis* ritus, à *Baptismali* omni ceremonia, ut videtur, æque, ac ipsum *Eucharistiæ Sacramentum*, distinctus: Ad illum in fine capitis sic summatim procedit, Παραλαβόντες δ αὐτὸν οἱ ἱερεῖς ἐγχρίζουσι πᾶ τ σωματώσις ἀναδέχῳ καὶ ἡλικίᾳ, καὶ σαὶ αὐτῷ περιβαλόντες ἐνδύτα τῷ πλουμένῳ καταλληλον, εἶτ ἱεραρχικὰ ὠδὶς ἀπαγουσιν. Ὅλη δ διουρημικωτάτῳ μύρῳ τ ἀγίου σφραγισαμένη μίτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τ ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας. *Sacerdotes verò eum accipientes susceptori tradunt*, qui junctis manibus *eum vestimento* * *albo* induunt. Quo peracto *ad Hierarcham*, aut Episcopum *iterum deducunt*. *Ille verò unguento consecrato virum signans sacrosanctæ Eucharistiæ participem eum Maxim. esse pronuntiat.* * Καταλληλον, ἐστι λευκὸν, §. 5. *Sch l. p. 7*

§. 5. Quæ sic satis dilucidè posita sunt, ut à *baptismali* officio prius peracto *chrisma* subsequens secernatur (ad cujus ministerium αὖθις, inquit scriptor, *denuò* ad *Episcopum*, à quo decesserat, jam *Albis* indutus, deducebatur) mox
* p. 129. in Θεωρία adhuc clariùs efferuntur. * Ἤδε τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις εὐωδῆ πιεῖ τὴν τετελεσμένον. Ἡ γὰρ ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις ἑνοῖ τὰ τελεσθέντα τῷ θεαρχικῷ πνεύματι, *Perfectiva autem unguenti Unctio initiatum grato odore perfundit, aut ut suavem odorem emittat facit, sacra enim Regenerationis consummatio initiatos divino spiritui unit.* Ἐν τέλει δὲ πάντων ὁ Ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὴν τετελεσμένον, καὶ τῆς τῶν τελεστικῶν μυστηρίων αὐτῷ μεταδίδωσι κοινωνίας. *In fine vero omnium Hierarcha ad sacrosanctam Eucharistiam initiatum vocat, & Mysteriorum communionis eum participem facit.*

§. 6. Quæcunque ad caliginem aliquam tantæ luci offundendam excogitari poterant, perspicacissimus *Dallæus* statim vidit, & prolixè apposuit, singula tamen, ni fallor, æquè adversus *Eucharistiam* ac *Chrismalem consignationem* dimicantia, quorum aut *neutrum* inter *Baptismi* ceremonias, ex hujus Authoris suffragio collocandum concluseris, aut utrumque.

§. 7. Non ineptè igitur *Maximus Scholiastes* hanc huic secundo Capiti *Coronidem*, & *anacephalæosin* ex *Apostolicis*, quæ dicuntur, *constitu-*
* p. 82. *tionibus* petitam * aptavit, Ἐστὶ τοίνυν τὸ μὲν βάπτισμα

σμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδούμενον. τὸ δὲ ὕδωρ ἀντὶ τῆς ταφῆς, τὸ ἔλαιον ἀντὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἡ σφράγις ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. *Est igitur baptismus in mortem Christi datus; aqua sepulchri locum tenet, oleum* (baptismale) *Spiritum sanctum* (in baptismo datum) significat, *sigillum crucem* denotat. *Unguentum aut chrisma Confirmatio est professionis.* Suum scilicet *baptismo oleum* ut & sigillum erat, at *chrisma* non *baptismi* (certè non *baptismi* solùm) sed *confirmationis* (adultorum *Baptismum* insecutæ) ritus erat, & ut talis ab utroque tùm *Constitutionum* cùm *Hierarchiæ Eccl.* authore agnoscebatur.

§. 8. Si hæc cuiquam minus sufficiant, addat si placet, quæ capite IVto περὶ τῶν ἐν τῷ μύρῳ τελουμένων, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ τελειουμένων prolixè adjecit author ille; nec dubitandi causam reperiet, quin posterior illa (ἐν μύρῳ τελείωσις) de *Confirmatorio Chrismate*; non in *baptismo* adhibito, sed *initiati* aut *baptizati perfectivo* intelligenda sit.

§. 9. Unum certe Scriptor ille * præmonendum duxit, τῷ θείῳ μύρῳ χρῆσθαι πρὸς παντὸς ἱεροῦ τελεσιουργίαν, *Unguento ad omnia sacra administranda usos esse*, unde & in *baptismo* ei locum esse nullus dubitat (at non in solo *baptismo*) τῆς ἱερᾶς, inquit, θεογενεσίας ἡ τελεουργὸς δωρεὰ καὶ χάρις ἐν, ταῖς τοῦ μύρου τελεῖται θειοτάτοις τελειώσεσιν, *sacræ regenerationis donum & gratia* (ἡ τοῦ βαπτίσματος χάρις, *baptismi* gratia, ut dilucidè *Pachymeres*) *in divinissimis*

* p. 176.

nissimis unguenti consecrationibus peragitur, ὅθεν ὡς οἶμαι, καὶ τῷ καθαρτικῷ βαπτιστηρίῳ τὸ μύρον ἐπιχέων εἰράρχης, &c. *Unde*, ut *putat*, est, quòd *baptisterio unguentum infundat Episcopus:* Ut enim aqua *baptismalis unguento* affuso sanctificatur, sic & ipsum baptizandum non aquâ solùm, sed & chrismate initiari, & consecrari (Quem locum de *baptismali chrismate* intelligendum esse, *Dallæo* lubenter concedimus, ut & istum c. v. à
* p. 208. * *Dallæo* allatum, οὐ τὴν ἱερὰν θεογνωσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρὶς, *baptismum sine unguento non peraget sacerdos.*)

§. 10. Quod verò mox sequitur, in *baptismi* censu reponi nulla ratio passura est; * Ἀλλὰ μὲν, inquit, καὶ αὐτῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς Θεογνωσίας τελετὴν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρίσις, ὑποτυπωσάσης τῆς ἱερᾶς συμβόλων εἰκονογραφίας ἐπ' αὐτοῦ (χριστοῦ) — ἀναλλοιώτῳ ὑσιώδους θεότητος ἕξει τὸ θειότατον πνεῦμα χορηγούμενον. *Sed & ei qui sanctissima divinæ generationis initiatione initiatus est*, (qui sc. jamjam *baptizatus* est, τῷ βαπτισθέντι inquit *Pachymeres Paraphrasta*) *divini spiritus adventum chrismatis unctio perfectiva largitur. Hac symbolorum imagine divinissimum spiritum qui à Christo per immutabilem realis divinitatis habitum nobis suppeditatur, adumbrante.*

* p. 177.

§. 11. Nullum hic *Baptismi* vestigium, nullus *Lavacri defectus*, aut ἔλλειμα, quod resarciatur,

aut

aut sanetur, & sic demum, ut *Eliberitanis canonibus* cautum est, perficiatur; nec enim *Baptismi perfectivum* hìc *chrisma* dicitur (quod *Dallæus* voluit, * *baptismum nostrum unguenti illius consecrationibus perfici* hinc colligens) sed *Unctio chrismalis*, simpliciter, τελειωτικὴ χρίσις, *perfectivum*, seu *consecratorium chrisma* vocatur, quo scilicet fidelis, prius *baptizatus*, consecratur, aut *perficitur*, vel, quod idem sonat, *confirmatur*, *Christo* Spiritum suum unguento adumbratum, ex thesauro suo, ad *invocationem Episcopi*, liberè largiente. * p. 207.

§. 12. In re satis per se clarâ, pluribus opus non est, nec igitur à *Pachymere Paraphrastâ* subsidium, quod in promptu est, efflagitamus. Ille certè de hoc *Chrismate* sermonem instituens, quatenus descriptio illius, *Eucharistiæ* immediatè subjungitur, ἐστὶν, * inquit, ὁμοταγὴς ταύτης ἡ τοῦ μύρου ἑτέρα τελετὴ, *hic alter chrismatis ritus Eucharistiæ coordinatus est*, &, ut * μυστήριον φωτισματος, μυστήριον συνάξεως, sic & μυστήριον τελετῆς μύρου, *mysterium*, aut *Sacramentum chrismalis ritus*, ex sæculi sui more, appellat, (quo minus *meram baptismi ceremoniam*, & appendicem suspicemur) & * ἡ τοῦ μύρου χρίσις αὐτῷ τῷ βαπτισθέντι τὴν ἐμποίησιν δωρεῖται τοῦ πνεύματος, *hæc*, inquit, *chrismatis unctio ei qui baptizatus est adventum Spiritus largitur*, ἐπεὶ διὰ τῆς τοῦ μύρου χρίσεως ἐπιφοιτᾷ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *quia per hanc* * p. 151. * p. 151. * p. 160.

hanc chrismatis unctionem Spiritus sanctus advolat. &c. Quæ omnia ad *confirmatorium chrisma* pertinere quis non videt?

§. 13. Nec vero *Orationis series* (ut *Dallæus* monet) aliud aut *demonstrat*, aut suadet, imò cum sibi, ut dictum est, *Pseudo-Dionysius* monstrandum proposuerit in omnibus sacris administrandis *chrismatis* usum fuisse, necessariò concludendum est, ea singula quæ produxit exempla, ex *Baptismali* penu petita non esse, aut si fuisse credantur, ipsum θεῖον θυσιαστήριον, *altare Dominicum*, in *Baptismali* etiam censu
* p. 177 reponendum erit, cujus * ἱερὰν τελεύωσιν *consecrationem*, ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου παναγέσιν ἐπιχύσεσιν τελετουργεῖσθαι, *sacerrimi chrismatis affusione peragi* affirmat.

CAP.

CAP. IV.

Duo Palmaria Dallæi Argumenta excutiuntur.

SECT. I.

Verba Cornelii de Novatiano, ex Euſebio & Nicephoro explicata. Dallæi objectio examinatur.

§. 1. DUO adhuc palmaria ſunt, quibus præcipuè hypotheſin ſuam contra omnem ictum ſtabiliri putat *Dallæus*. Unum à *Romanis* petitum (cui præſertim innititur *Spalatenſis* de *Rep. Eccl.* L. v. c. 5.) alterum à *Græcis*; Vnum ex *Cornelii Papæ* de *Novatiano* apud *Euſebium* verbis, alterum vero ex officio baptiſmatis Græcorum in *Euchologio* deſumptum.

§. 2. Ex *Cornelii* verbis concludit obſignationem iſtam, quæcunque tandem illa fuerit (non tantum verum & proprie dictum *Sacramentum* non fuiſſe, quod libenter agnoſcimus, ſed &) *Ceremoniam merè baptiſmalem fuiſſe, ejuſdem cum illis cæteris cenſus, quæ non expreſſit Cornelius.*]

§. 3. Vt

§. 3. Ut cognoscatur an hoc ritè concluserit vir Doctissimus, locus integer consulendus est, quem incolumem nobis servavit *Eusebius*, Εκκλ. Ἱστορ. βιβ. ς. Νέσῳ, inquit, περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν, εἴγε χρὴ λέγειν τὸ τοιοῦτον εἰληφέναι. Οὐμὲν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὸν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸ τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦτο σφραγιθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ Ἁγίου πνεύματος ἔτυχε: *In morbum quidem Novatianus periculosum incidens, vitæque spe nullâ relictâ, in Lecto quo decubuit, aspersus vel circumfusus, baptismum accepit, si sanè in confiniis mortis positus accepisse putandus sit. At nec postquam morbo liberaretur, reliquorum particeps factus est, quæ secundum Canones Ecclesiæ, obtinere debuerat, nec ab Episcopo obsignatus est, Quo non impetrato, quomodo Spiritum Sanctum obtinuisse putandus est?*

*Κεφ. μγ.

§. 4. Hic, siquid video, duo sunt sigillatim posita, ex quibus *Novatianum* Spiritus Sancti participem non fuisse *Cornelius* confirmat: Primum, quòd, cùm ἐν κλίνῃ baptizatus esset sub extremo mortis discrimine, morbo tamen devicto, illa non expeteret, quæ expeti & participari *à talibus* (in *Lecto* scil. tinctis) Canon Ecclesiæ jubet. Hoc à * *Nicephoro* aliquantò clariùs explicatur, Ὅγε οὐδὲ τῶν λοιπῶν τῆς ἐκκλησίας συμβόλων ἠξιοῦτο, ὧν χρέων

*L.6.c.3

τοῦ

τοὺς τοιούτους μεταλαβάνειν, κατὰ τὴν ἐκκλησίας θεσμόν. *Sed enim ille postea reliquis Ecclesiæ Symbolis, quibus ad eum modum tincti, juxta Ecclesiæ sanctiones uti debent, minime dignus est habitus*, aut *assecutus est*. Quænam vero illa fuerint (à Clinicis expetenda) nos hic supra commemoravimus, cum de *baptismi perfectivis*, ex *Synodo Eliberitanâ*, verba fecerimus, eaque ad *Confirmationem* nihil quicquam pertinuisse contendimus.

§. 5. At præter hoc primum ὑστέρημα, restat etiam secundum, quod nempe cum ei benedictio baptismi *Clinici* perfectiva plane deesset, Gratiæ illius defectum à *Consignatione Episcopali*, quâ Spiritus sanctus in Confirmatione Neophytis, i. e fidelibus priùs baptizatis communicari in Ecclesiâ solebat, resarciendum sibi non curasset. Hæc certe duo confundenda non erant satis in se distincta, satis perspicue à *Cornelio* dispuncta, οὐ μὲν, inquit, οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, &c. τοῦτο σφραγισθῆναι, &c.

§. 6. Hìc si facili & proclivi mendâ, librariis familiari legamus, οὔτε σφραγισθῆναι, &c. (sic certe legendum esse *Nicephorus* monstrat, ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ ἐπισκόπων τὴν νόσον διαφυγὼν, ἐσφραγίσθη ἐς ὕστερον, *neque*, inquit, *cùm convaluisset signaculum ab Episcopo deinde recepit*) Omnia luce ipsâ clariora erunt; Quâ non admissâ, verba cordato & diligenti Lectori nimis aspera videbuntur; nec enim belle cohærent, οὐδὲ τῶν λοιπῶν, τοῦτο, &c.

§. 7.

§. 7. At nec istis auxiliis indigemus, si enim vulgaris *Eusebii* lectio retineatur, eodem plane res recidit. Illud enim necessarium est, ut οὐδὲ in prioribus vim suam in [τοῦ σφραγισθῆναι] exerat, ut scil. nec reliqua ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν assecutus sit, nec τὸ σφραγισθῆναι, i.e. nec *baptismi perfectiva* (quæ *Eccles. Hierarchiæ* Author τελεσιουργικὰ dixit) nec *consignationem Episcopalem:* Vnde est quod in singulari addatur, τοῦτο δὲ μὴ τυχὼν, hoc vero cum non sit adeptus, &c. τοῦτο certe ad τὰ λοιπὰ quæ præcesserant sine fœdo solœcismo referri nequit, sed tantum ad τὸ σφραγισθῆναι, *consignationem* ab Episcopo receptam, à cujus manuum impositione & benedictione paternâ Spiritum sanctum expectatum fuisse nemini, spero, novum putabitur. Aliud igitur omnino τὰ λοιπὰ *reliqua*] aliud σφραγισθῆναι *consignatio*] nec igitur eadem, siqua Cornelio fides debetur.

§. 8. Vnicum est quod huic tam illustri Testimonio objici video, ex iis quæ paulò post *Cornelius* de eodem *Novatiano* subtexuit, *Fabianum* scil. *Episcopum Romanum*, cum illum ad Presbyteratus ordinem provecturus esset, ab Vniverso Clero, multisque Laicis prohibitum fuisse; ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐν κλίνῃ διὰ νόσον περιχυθέντα ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρον τινα γενέσθαι, *quoniam in Lecto aspersum, aut baptizatum, qualis hic, in clerum provehi non licuit, nec tamen Fabianum, quod omissum erat, contulisse, sed ἀξιῶσαι postulasse sibi*

huic

huic soli manus in sortem Presbyterii imponendi potestatem concedi. Hinc sic arguit *Dallæus*, *Si illa quâ carebat Unctio non baptismalis baptismoque cohærens ceremonia, sed proprium seorsim sacramentum erat, qualis Latinorum est hodie Confirmatio, cur Fabianus hominem, cùm eum vellet in Presbyterum consecrare, eo, quo carebat, Sacramento non donavit? Quid prohibebat, quod antea omissum erat, id nunc conferre &c.* * p. 139.

§. 9. Respondeo 1. duo hic à *Dallæo* contra Latinos assumi, quæ nos *Angli*, qui interim *Confirmationem* Episcopalem tutamur, plane negamus. Nec enim unctionem necessariam *Confirmationis* ceremoniam, nec *Confirmationem Sacramentum* esse putamus. II. Si *Novatiano* sola, quam dicimus, *Confirmatio* defuisset, non infeliciter certe procederet *Dallæi* argumentum. At cum duo, aut potius tria à *Cornelio* hic *Novatiano* objiciantur, I. Quod ἐν κλίνῃ in *Lecto* aspersus vel baptizatus fuerit, II. quod morbo liberatus, cætera, quæ secundum Ecclesiæ Canonem μεταλαμβάνειν καὶ *participasse oportuit*, non fuerit consecutus, III. quod ab *Episcopo* obsignatus non fuerit (quæ singula satis à se invicem dissipantur) palam est unum tantummodo (primum illud) de baptizato *Clinico*, non posteriora, de omissâ aut *Chrismatione*, aut *Consignatione* ab Universo Clero & plebe objectum fuisse, & ordinationi ejus obstitisse. Illud quippe *Canone* postmodum *Neocæsareensi* expresse vetitum

vetitum [ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβύτερον ἄγεσθαι οὐ δύναται, *Siquis in morbo baptizetur, ad Clerum promovendus non est*] priùs, ex more saltem *Ecclesiæ*, illicitum fuisse, hinc si non aliunde satis constat.

§. 10. Consulantur ipsa *Cornelii* Papæ exerta verba, sicut sunt modò à nobis, nec non ab ipso *Dallæo* allata, διακωλύομενος ἀπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, *ab omni clero prohibebatur* — ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὴν ἐν κλίνῃ διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρον τινα γενέσθαι, *quoniam in lecto ob morbum aspersum*, vel baptizatum (*qualis hic*) *ad Clerum promoveri non licet.*] Nulla hic aut χρίσματος, aut φραγίδος, *unguenti*, aut *sigilli* omissi criminatio, sed tantùm baptismi ἐν κλίνῃ *in lecto* accepti mentio.

§. 11. Nec jam quod semel factum est, infectum esse potuit, nec ulla quidem *Fabiani* diligentia præstitura erat, ut ἐν κλίνῃ lotus, *Clinicus* non audiret. Ideoque cùm illa sive lex sive recepta in Ecclesiâ consuetndo, de non promovendis ad sacros ordines *Clinicis*, non ita arctè constringeret, quin ei ex causis gravioribus laxatio aliqua fieri posset (subesse enim interdum hujusmodi causas, & tempora, testatur * *Canon Neocæsariensis* [διὰ τὴν μετὰ ταῦτα σπουδὴν καὶ πίστιν, καὶ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, *propter diligentiam actionibus subsequentibus approbatã, propter fidẽ eximiã, et infrequentiã et caritatẽ hominũ*] πρὸ, ἱερωσύνην

* *Ibid.*

scil.

ſcil. ὁμιλεῖαν, *eorum qui ad Sacerdotium idonei ſunt*, ut rectè *Zonoras*) de *Fabiano* dicitur, quod ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τὸν μόνον χειροτονῆσαι, *veniam poſtulavit*, & impetravit, *ut huic ſoli manus imponere permitteretur*, nullum poſthac *Clinicum* ad *Presbyteratum* evecturus. Omnia dilucida, nec jam in hoc celebri facto quicquam reſtat, quod hic *confignationem* Epiſcopalem cum *baptiſmo* confundat, aut *hypotheſi Dallæanæ* ullatenus faviſſe videatur.

SECT. II.

Teſtimonium ex Euchologio prolatum ad examen vocatur. Officia Baptiſmi, & Chriſmatis diviſa. Ordo Romanus à Græco parum differt. Baptiſmo non ſemper Chriſma adjungebatur.

§. 1. REſtat, ut quid commodi aut ſubſidii ex *Euchologio* Græcorum lucrari poſſit *Dallæus*, pauculis deſpiciamus. Cùm hùc devenerit vir Doctiſſimus, ſine morâ concludit, * *hunc communem eſſe totius Græcorum Eccleſiæ ſenſum, publico Gentis Euchologio ſeu rituali, & ex eo Univerſali apud eos praxi clamante* (id certè Collega ipſius *D.* † *Blondellus* jamdudum edixerat, *Accedit*, inquit, *Græcorum*

* p. 214.

† *Apol. Hier. p.* 147

antiquiorum solennis, recentiorum omnium praxi confirmata testificatio) nec enim apud eos, ut apud recentiores Latinos, duo diversa esse baptismi & Chrismatis officia, sed unum idemque, quod non diversis capitibus sed uno eodemque totum continetur, cujus titulus est Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *consequentia seu potius ordo,* vel, *ut recens interpres maluit, officium baptismatis.*]

§. 2. At si *Euchologium Goari,* quo *Dallæum* uti palam est, introspiciamus, Illud I. occurrit, Titulum hunc Ἀκολουθία, &c. ut & Rubricam sequentem deesse in M.S. *Cryptoser. Falasiæ* (ut *Jo. Goar* monuit) qui sic incipit, Καὶ μετὰ τοῦτο. *Et post hoc,* &c. II. Quod ad *Chrismationem* attinet, modus ejus in eodem M. S. aliquantò fusiùs & exactius, quàm in altero, quo *Dallæus* utitur, proponitur, utrumque conferat Lector, & quod rem extra omnem aleam collocet, inveniet.

§. 3. Μετὰ τὸ βαπτίζεσθαι, *Post baptismum peractum* (& prius *uncti totius corporis,* dein *Loti in nomine Patris, &c.* mentionem) *Patriarcha* νύπτει) καὶ ἐκβάλλει τὸ λέντιον καὶ τὰ μανίκια, lavatur, & (quæ prius induerat ad baptismi solennitatem) *linteum & manicas deponit:* Officii planè finiti indicia non obscura: Et *Archi-Diacono* dicente *attendamus,* incipiunt *Psaltæ,* Μακάριοι, *Beati sunt quorum remissæ sunt iniquitates,* &c. ex *Ps.* 32. iis qui in Baptismo jam remissionem peccatorum adepti sunt, accommodatissimo: dein

dicitur

dicitur, Εὐλογητὸς *Benedictus*, &c. Oratio *Eucharistica*, beneficia Dei erga νεοφώτιστον, jam per aquam & Spiritum regeneratum, Commemorans, simulque postulans à benigno omnium Rege, ut καὶ τὴν σφραγῖδα τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου καὶ παντοδυνάμου καὶ προσκυνητοῦ πνεύματος, καὶ μετάληψιν, τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ χριστοῦ *Sigillum doni Omnipotentis & adorandi Spiritus, & participationem sancti corporis & sanguinis Christi ei largiatur*, Ecce *consignationem*, & *Eucharistiam*, quarum usum ut Deus recens baptizato indulgeat, qui formulâ illâ utuntur, comprecantur.

§. 4. Quibus sic dispositis & *baptismi* officio planè finito, sequitur, Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην, ἐπιδύεται τὴν στολὴν ἐκ τοῦ βαπτίσματος, καὶ βάλλει τὰ τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπάγει εἰς τὸν ἅγιον πέτρον: *deponit Patriarcha Baptismatis stolam, & assumit eam quæ missis inservit*, & ut stolam sic locum mutat, & *Cantore dicente Quotquot in Christum baptizati estis*, &c. Κρίει τὸν μύρῳ τοῦ βαπτισθέντας, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, τῶν ὀφθαλμῶν, τῶν μυκτήρων τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, λέγων Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Ungit Chrismate baptizatos, signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & utrisque auribus facit, dicens, sigillum doni Spiritus sancti.*

§. 5. Hæc quidem omnia dilucida, nec quicquam quod *Consignationem* Baptismi ritum fu-

isse magis suadeat, quàm *consignationis Eucharistiam*; de ea enim, sine novi officii titulo, nullo intervallo interposito, immediatè sequitur, Μετὰ τοῦτο συμψάλλων εἰσέρχεται μετὰ τῶν νεοφωτίστων εἰς εἴσοδον, *post hoc simul psallens in introitum ingreditur cum recens baptizatis*, καὶ τελεῖ ἀκολούθως τὴν θείαν λειτουργίαν, *& divinam missam consequenter celebrat.*

§. 6. Adeò illud jam res ipsa loquitur, quod prius monui, *Baptismum*, *Consignationem*, *Cœnam Domini*, licet adultis simul communicentur, tria tamen esse, nec sine prodigio, ne dicam sacrilegio, confundi posse.

§. 7. Idem ex sequentibus liquet, ubi paucis narratur, quid in reliquis *festis* fiat (priora enim ad *Sanctum Sabbatum* pertinebant) *In parvo*, inquit, *baptisterio fiunt* φωτίσματα, *baptismi*, *sed* ἐν ἀποδύτῳ *in vestiario* Σφραγίζει ὁ Πατριάρχης τοὺς ἐοφωτιστοὺς τῷ θείῳ μύρῳ, *Patriarcha recens baptizatos divino unguento signat*, &c. Pluribus in re manifestâ opus non est.

§. 8. A quibus (ut id obiter dicam) parum abest, quod in * *Ordine Romano*, ubi de baptismo agitur, Legitur Peracto enim baptismo, *Pontifex egreditur à fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia, ubi voluerit, & sedet in eâ*, ut, *cùm vestiti fuerint Infantes, confirmet eos* (Quibus concinit *Alcuinus* l. de *div. Offic.* c. XIX. *Postquam*, inquit,

* *Cap. de die Sabb. S. Pasch.*

quit, *vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum.* Ad hæc *Ordinis Romani* verba *Georgius Cassander*, in *Liturgicis* exercitatissimus, sic pronuntiat, *Confirmatio Chrismatis quæ per Episcopum fit, quamvis auctarium quoddam sacri baptismatis sit habita, non tamen statim, neque immediatè, sed aliquot Ceremoniis interjectis adhibebatur; imò Honorius* (inquit) *Augustodunensis octavo demum die baptizatos mitras deposuisse, & ab Episcopo in fronte chrismate consignari consuevisse auctor est.* Id quod *Gulielmus quoque Mimatensis Episcopus testatur. Neque enim semper baptismo hæc Confirmatio chrismatis adjungebatur, ut cùm Episcopi consequendi facultas non erat, præsertim cum extra ordinem infantes in pagis & villis baptizabantur.*

† Schol. ad Hymn. Eccles. p. 218.

CAP. V.

CAP. V.

Consignatio in receptione eorum qui ab Hæreticis baptizati sunt.

SECT. I.

Constantinopolitanus Canon VII. Chrismati, ubi nullus baptismo locus. Redeuntium ab hæresi receptio eadem cum Confirmatione.

§. 1. EST & *Chrismatio* seu Consignatio adhuc alia, quæ in *Hæreticorum*, aut ab hæreticis baptizatorum ad Orthodoxiam & Ecclesiam redeuntium receptione adhibebatur.

§. 2. Eam post *Laodicenæ* Synodi septimum Canonem; Secundi (i. e. *Constantinopolitani*) *Concilii Generalis Canon VII.* fuse describit. Τοὺς προσερχομένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ, καὶ τῇ μερίδι τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν δεχόμεθα κατὰ τὴν ἀποτεταγμένην συνήθειαν, σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους τὸν ἅγιον μύρον πρότερον μόνον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Nos qui rectæ fidei, & eorum qui servantur* (i. e. resipiscentium) *portioni ab hæreticis adjiciuntur, receptionem secundum Constitutum Officium,*

ficium, ſigillatos, primò ſcil. unctos ſacro unguento Chriſmatis, & fronte, & oculis, & naribus & ore, & auribus, & ſignantes eos dicimus, ſigillum Doni Spiritus ſancti. Quod ad verbum exſcripſit & ſtabilivit *Synodus ſexta* quæ in *Trullo* congregabatur, nec eſt quod plura adjiciam in re notiſsimâ.

§. 3. Hoc planè ſolenni ritu, eos, qui rebaptizandi non erant, in ſacroſanctæ Matris amplexus excipi catholica decrevit Eccleſia. Quod ipſum argumento eſt, ritum hunc, ut ſacerrimum & antiquiſsimum, ſic & à baptiſmo luculentè diſtinctum fuiſſe, ex decreto & ſolenni Eccleſiæ more celebrari juſſum, cùm *baptiſmo* nullus locus eſſet, nimioque partium ſtudio (quod rectè monuit * *Dallæus*) occœcatum *Aurelium*; qui ne *Sacramentum* in *Eccleſiâ* reiterari crederetur, hanc *ab hæreſi revertentium Chriſmationem à Confirmatione diſtingui* voluit, cùm (ſi verba *Canonis*, *Concilii ſecundi* cum celebrandæ *Confirmationis* ratione in *Euchologio* conferantur) formæ, voces, univerſæ ritus particulæ, eædem planè, ſine ullâ quantulacunque differentiâ ſuiſſe reperiantur.

* *Vid. Dall.* p. 175.

SECT. II.

SECT. II.

Argumentum Dallæi ex Responsionibus ad Orthodoxos petitum. Responsio. χειροθεσία pro Pœnitentium receptione. Ab hæresi redeuntes Clerici non reordinandi. Reconciliatio. Argumentum aut nihil aut nimium concludens. Antiquorum praxis ex Argumentis levibus non est concludenda. Χρίεσθαι ἐπὶ πίστων apud Basilium.

§. 1. AT nec hic Doctissimo *Dallæo* argumentum defuit, quo hypothesin suam tueatur, statim & si eum audiamus * *clarissimè* probaturo, *Veterum unctionem ad baptismum pertinuisse*; (quod addit [*non aliud Sacramentum*] nos, ut dixi, non premit, qui id *Dallæo* libenter concedimus.)

* p. 177.

§. 2. Unde verò hæc fiducia? Certè ex unico * *Authoris Responsionum ad Orthodoxos*, qui sub *Justini* nomine fallit, commate, ad *qu.* XIV. τοῦ αἱρετικοῦ (inquit ille, quisquis sub primævi Martyris larva nobis imponit) ἐπὶ τὴν Ὀρθοδοξίαν ἐρχομένου τὸ σφάλμα διορθοῦται, τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος, τοῦ δὲ βαπτίσματος τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου, τῆς δὲ χειροτονίας, τῇ χειροθεσίᾳ, οὐδὲν τῶν πάλαι μένει ἄλυτον. *Cùm hæreticus ad veram fidem accedit, corrigitur lapsus falsæ opinionis,*

† p. 399. D.

nis, sententiæ mutatione, baptismi sancti Chrismatis Unctione, Ordinationis, Impositione manuum, nihilque quod prius erat, indissolutum manet. Hinc sic arguit vir Doctissimus, *Vitia hæreticorum oppositis, sed in eodem genere rebus emendabantur. Error verâ sententiâ, prava Ordinatio, rectâ sanctioris manus impositione. Ut ergo vera sententia in eodem rerum genere est, quo Error, Ecclesiastica manus impositio ad idem genus pertinet, ad quid hæretica Ordinatio, ita & Unctionem in baptismalium rerum censu fuisse necesse est; quæ absurdè alioqui & ineptè ad baptismi correctionem usurparetur.*]

§. 3. At 1. neutiquam constat χειροθεσίαν hoc loco cum χειροτονίᾳ *ejusdem generis* fuisse; Certè si hoc admittatur, constabit hic *Ordinationis* iteratæ exemplum, id, quod alibi forsan non occurret, nisi cum Presbyter παρασχὼν ἑαυτὸν ἐπισκοπεῖν, *Episcopalem potestatem* sibi deridiculo ascisens (ut de *Colutho* diximus ex *Athanasio*) Presbyteros ordinare præsumserit, cujus πᾶσαν χειροτονίαν γενέσθαι ἄκυρον, *Omnem Ordinationem invalidam fieri*, decretum est.

§. 4. Hic verò, cum, qui ab Episcopo, licet hæretico, ordinatus fuerat, εἰ χειροτονίας σφάλμα, *Ordinationis vitium* χειροθεσίᾳ *impositione manuum*, corrigendum sit, non est quod dubitemus τὴν χειροθεσίαν *Pœnitentiam*, solennem istam Naufragantium *tabulam* intelligendam esse. Consulat antiquos Canones, & me verum monuisse non

non ambiget. Clericos quippe ab hæresi reverten tes non *reordinatos*, sed per *pœnitentiam* receptos fuisse.

§. 5. Von pigebit huc *Sylvestri* prius laudatum decretum (de quo * *Dallæus* fusè gloriatur) ex *Epilogo Concilii Romani* adduxisse. *Constituit*, inquit, *Sylvester*, *ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret*] *Reconciliatio* planè nec ad *baptismum*, nec ad *Confirmationem*, multò minus ad *Ordinationem*, sed ad *Pœnitentiam* pertinet. Quod autem sequitur de *sacrosancto Chrismate*, & *Episcopali manuum impositione*, licet ea etiam ad *pœnitentiam* accommodari possent cujus potissimus ritus est *manuum impositio*, ut & *Unctio*, (ut mox ex *Hieronymo* monstrabitur) cùm tamen *confirmandi* expressa mentio addatur [*Sancti Spiritus gratiâ, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret*] de eâ intelligenda esse non dubitarim, nec enim quicquam prohibet utrique hic locum fuisse, Presbyterosq; ex hæresi reversos per *Pœnitentiæ* æquè, ac per *Confirmationis* ritum receptos fuisse.

* p. 239.

§. 6. His positis, omnis statim Argumenti hujus vis in fumos abiit, nec enim *hæreticam Ordinationem*, & *Catholicam Pœnitentiam* ad idem genus pertinuisse credideris.

§. 7. At II. non videt vir eximius se argumento uti, quod aut *nimium*, aut *nihil* conclusurum est.

§. 8.

§. 8. Certè si, cùm *vitia hæreticorum oppositis ex eodem genere curari dicantur*, ea identitas strictè sumatur, sequetur statim, ut *falsum dogma vero dogmate*, sic *hæreticam Ordinationem*, *Ecclesiasticâ Ordinatione*, *baptismum* denique ab hæreticis datum, *baptismo* à *Catholicis* dato sanandum fuisse: Ex quibus si sic arguere liceret, rebaptizationis necessitatem liquidò concludi videt vir Doctissimus. Quod certè *nimium* esse, & *Catholico* dogmati toto genere contrarium, sat scio, mecum agnoscet.

§. 9. Quòd si *baptismus baptismo corrigendus* non est, quæ tandem necessitatis species ex *Pseudo-Justini* verbis extundi poterit, ut non *aliâ, quàm baptismi ceremoniâ*, *baptismi* Θεάλμα, *error*, *lapsus*, *vitium corrigatur*? An hic est ille viperæ morsus, qui solo *Theriaco* sanari potuit? Certè cum peccata contra *baptismale* votum commissa solo *Pœnitentiæ* pharmaco, nec eo ex baptismalium rerum censu petito, curari notissimus Ecclesiæ mos sit, nulla necessitas cogit, ut *hæreticorum baptisma*, quod certè non magis immediate baptismalem fidem attingit, ex unâ baptismi pharetrâ transfigendum sit.

§. 10. At consulatur iterum *Responsionum Author*, & ex quæstione, cui *Responsio* accommodata est, res omnis facile perspicietur: *Si* (inquit Ἐρώτησις) *baptisma hæreticis datum, sit*, ἐψευσμένον, καὶ μάταιον, *fictum & inane*, *cur Orthodoxi*

ad

ad Orthodoxiam confugientem hæreticum non baptizant, ἀλλ' ὡς ἐν ἀληθεῖ, τῷ νόθῳ ἐῶσι βαπτίσματι, *sed perinde eum in spurio illo baptismate, ac si verum esset, relinquunt?* Huic certè quæstioni Responsio justa, & omnibus absoluta numeris hæc est [αἱρετικοῦ σφάλμα διορθοῦσι] *corrigi* scil: *lapsum*, aut (si *Dallæo* magis placeat) *reparari* aut *suppleri* ὑστέρημα, *non aut* ἐψευσμένου *spurii, aut ficti, aut vani* (ut ἐρώτησις suspicabatur) *sed veri* & *legitimi*, licet ab *hæreticis* collati, *baptismatis*, medicinâ scil. eâ quâ *neophytos* in Ecclesiâ Christi, i. e. infirmos sustentari notissimum est; ut qui ex Gratiâ Christi, errorem, quem imbiberant, deposuerint, in *Orthodoxiâ* demum stabiliantur, & ad id largioribus, quibus indigent, Gratiæ divinæ, *Septemplicis* (aiunt Patres) *Spiritus* haustibus proluantur, & sic demùm felicius in *Christo* & Spiritu S. adolescant.

§. 11. Vides, quàm nihil ad *Erotesin* pertineat, an è *baptismatis censu*, an ex alio quovis Ecclesiæ thesauro petatur remedium, id solum Authori curæ fuisse, ut quod σφάλμα *vitium* fuerat, διόρθωσιν *emendationem* sortitum esse, extra dubium poneretur.

§. 12. Certè si argumentis, ex hujusmodi sedibus, aut fontibus petitis, quicquam concludi, aut colligi posset, non minus credibile foret, *impositionem manuum*, quâ æquè ac *chrismate*, apud *Latinos*, *Hæretici* ad *Ecclesiam* redeuntes tecipie-

recipiebantur ad *Pœnitentiæ* ritum pertinuisse. Cui suspicioni, præter prædicta, favent * *Vigilii* Papæ verba de iis qui in *Arianismum* lapsi ad Ecclesiam redibant, *Non*, inquit, *horum reconciliatio per illam impositionẽ manusquæ per invocationẽ Spiritus sit, operatur; sed per illam quâ Pœnitentiæ fructus acquiritur, & sancta communionis restitutio perficitur.* Vt & *Stephani* dictum, quod *Cypriani* *Epistola nobis custodivit, quo ex hæreticorum exemplo praxim Ecclesiæ confirmat, *Ipsi*, inquit, *hæretici ad se venientes non baptizant, sed communicant tantum*, i. e. *per pœnitentiam* ad communionem cœtus sui recipiunt. At statuit *Dallæus*, cum *Vigilii* locum lustraret, hæc ex verbis hisce rectè concludi non potuisse, nec enim *Arianis simpliciter ad Ecclesiam redeuntibus locutum esse Vigilium, sed de his qui baptismatis gratiâ salutari acceptâ, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis morte sunt demersi.*] Nec ego quidem renitor, imò lubens largior, conjecturis ita levibus locum non esse, in iis quæ antiquis notissima erant. At nec apud illos certè quævis necessitas agnoscitur, ut hæreticus *baptismus, cognato antidoto, & ex baptismi remedio petito corrigatur.* Qui talibus argumentis fretus, de antiquorũ praxi, aut ritibus pronuntiat, sciat se non facẽ præferre, sed tenebras offundere, et quæ explicanda & interpretanda suscepit conjecturis & divinationibus involvere. Recolat

† *Concil. t. IV. p. 160.*

† *Ep. 74. p. 114.*

* *p. 179.*

vir

vir Doctissimus alia omnia antiquorum scita, quorum ad hanc rem, supellectilem non mediocrem hic congessit; & tibicinem non reperiet, quo hanc novitiam hypothesin suam suffulciat, aut cuiquam persuadeat, hæreticorum in *Trinitate* baptizantium Lavacrum, non alio quàm ex *baptismi* censu desumpto *remedio* sanari posse.

§. 13. Ex *Augustino* laudavit, p. 172. *Solenne fuisse manum hæreticis correctis imponi.* Ex *Syricio*, ut ille ex *Synodo*, *Arianos per invocationem solam septiformis spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociari.* Ex *Gennadio*, *purgatos jam fidei integritate, Confirmari manus impositione*, & iterum *manus impositione & chrismate communitos Eucharistiæ mysteriis admittendos esse* Ex *Gregorio*, *Arianos per impositionem manus occidens; per Unctionem sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat.*

§. 14. Mitto alia multa quæ vir Doctissimus adduxit, infinita quæ producere potuit, in quibus nullum certe *baptismalis* cujusvis ceremoniæ vestigium, sed solius *Episcopalis Confirmationis*, *Communitionis*, *Chrismationis*, *Impositionis manuum* expressa mentio.

§. 15. Unum hic interrogem, an in *Canonicâ Basilii* ad *Amphilochium Epistolâ*, χρίσεως ὑπὸ (vel ut *Dallæus* legit, ἐπὶ, cur non potius ὑπὸ)

ὑπὲρ) πίστων ἀδελφῶν] non ſit, *pro fidelibus inungi*, vel *ad modum fidelium*, i. e. *baptizatorum*? Si ſic, Ungi fideles πεφωτισμένους, *Illuminatos*, perfectè initiatos vides, nec *tinctos* tantùm, aut eos qui *illuminantur*, φωτιζομένους in præſenti, ipſo baptizandi tempore, ut *Dallæus* modò ſuſpicabatur; *In fidelibus*] interpretatus eſt *Gentianus Hervetus*, i.e. *inter fideles*, quod eodem redit.

§. 16, Certe ſi cum *Dallæo* reddatur [*à fidelibus*] non *Epiſcopos* aut *Preſbyteros*, imò nec *Diaconos*, ſed πρὸς, ad nullum in Eccleſia βάθμον promotos, *Chriſmatis* miniſtros adoptabimus, ſed id obiter.

CAP.

CAP. VI.

Testimonia Antiquorum de Confirmatione.

SECT. I.

Locus Irenæi de Valentinianis. Fragmentum Theodoti, Locus Theophili Antiocheni, Tertulliani. De differendâ Confirmatione Consilium Cassandri. Jus Canonicum, Catechismus Romanus. Tertulliani alia duo loca.

§. 1. HIS igitur sic stabilitis, non pigebit *Cornelii* de *Novatiano* lucidissimis verbis, modò allatis, & ab offuciis omnibus liberatis, alia nonnulla profundæ antiquitatis Testimonia adjecisse, seu potius à nebulis, aut caligine, quibus nativa ipsorum vis offundi, & obscurari posse putatur, vindicasse, ut extra omne dubium ponatur, *Confirmationem*, seu *Episcopalem*, per manus impositionem, *Benedictionem*, licet inter *Sacramenta* à Christo instituta, aut ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ ἐμφερόμενα, ut * *Hieremias Patriarcha Constant.* nobiscum agnovit, non numeretur; esse tamen, si non ἐκ μαθητῶν τοῦ λόγου, ut ille existimat, παρα-

† *Respon: ad Germ. c. 7.*

δεχομένην

δεχομένων *ex Christi discipulis receptum* saltem à celebri ipsorum praxi, *Act.* 8. deductum ritum in Ecclesiâ Christi, omni ferè ævo, Græcis, Latinisque notissimum.

§. 2. Eâ certè hic testimoniorum penuria non laboramus, ut *Hæreticorum* nominibus locupletari Album nostrum necesse sit, Non pigebit tamen *Valentini Archihæretici*, primo nascentis Ecclesiæ mane, cætus suos segreges congregantis, & quæ à *Catholicis* didicisset, ad *characterem* suum transformantis, & intervertentis meminisse.

§. 3. Apud eum certè, & sectatores ejus, ut ex **Irenæo* perspicimus, sicut *baptismi*, ita & ἀπολυτρώσεως mentio, **baptismi* quidem ad *pœnitentiã*, ἀπολυτρώσεως εἰς τελείωσιν *ad perfectionem.* * Ὁ δὲ τετελεσμένος, *qui verò*, inquit, *sic initiatus aut perfectus est, respondet*, inter alia, ἐστήριγμαι, λελύτρωμαι, &c. *Confirmatus & redemptus sum.* Statimque additur, * ἔπειτα μυρίζουσι τὸ τετελεσμένον τῷ ὀπῷ τῷ ἀπὸ Βαλσάμου, *tum eum qui initiatus aut perfectus est Opobalsamo inungunt*, τὸ γὰρ μυρὸν τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσι, *hoc enim unguentum fragrantiæ illius quæ omnia exsuperat, typum esse affirmant.* Ἔνιοι δὲ αὐτῶν—μίξαντες ἔλαιον καὶ ὕδωρ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τῶν τελειουμένων—μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ. *Quidam eorum oleum & aquam unà permixta in initiatorum caput injiciunt, Hi autem ipsi etiam balsamo inungunt.*

† *Lib.* 1. *c.* 18.
† *p.* 106. C.
† *p.* 108. B.
* *Ibid.*

§. 4. Vides hic *Confirmationis* nomen, *unguenti* usum, nec *olei* tantum *aquæ* mixti, quod ad *baptismum* respexisse putes, sed &, quo *inungebantur, opobalsami.*

§. 5. His certè alia quam multa confundi fateor, nec enim apud *hæreticos* quicquam ὑγιὲς, *sincerum* aut incorruptum expectabis, quorum illud semper ingenium fuit, ut quæ ab *Apostolis* aut *Apostolicis* viris tradita perceperint, multis indies ex penu suo petitis cumulent & offundant.

§. 6. Sic certè quæ de *Unctione* in extremis iidem philosophantur (ἔλαιον ὕδατι μίξαντες ἐπιβάλλουσι ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἐξελθόντος, *Oleum,* * inquit, *aquæ immixtum, ut & alii opobalsamum, in caput morituri injiciunt*) pâlam est à *Jacobo* petita esse, ad suum interim characterem statim efformata, cum illud factum addunt, non ut, cum *Jacobo, infirmum* ad sanitatem restituant (σώσει κάμνοντα καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, *Jam.* 5. 15.) sed ἵνα λαμβάνοντες, &c. *ut qui in exitu has invocationum formas acceperint à superioribus potestatibus & principatibus apprehendi & teneri nequeant.*

*Ibid D.

§. 7. Ex eadem, fateor, Scholâ *Theodotus* prodiit, cujus *Eclogas,* ut ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας, *Orientalis quæ dicebatur doctrinæ spicilegia,* nobis *Clemens Alexandrinus* custodivit ad calcem L. VIII. Strom. inspiciendus. Illius verba non verebor ascribere, cum sint adeò profundæ antiquitatis fragmenta, * Κατὰ τοὺς Ουαλεν-

Vid. Clem. Alex. str. l. 8

Ὀυαλεντίνυ χρόνυς, *ipsius Valentini* hæresiarchæ *temporibus* nata, nec *hæresin*, aut ἑτεροδοξίαν quovismodo sapiant.

§. 8. Ea quidem codices sic legunt, Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, ἃ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον, οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει, εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται, οὕτως καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ ἐξορκιζόμενον, καὶ τὸ βάπτισμα γινόμενον, οὐ μόνον χωρεῖ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ καὶ ἁγιασμὸν προσλαμβάνει.

§. 9. Nullus hic dubitandi locus est, quin librariorũ mendâ vox οὐ abundet, aut pro ἃ reponatur sic ut legendum sit, non οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα sed aut τὰ αὐτὰ ὄντα, aut ἃ τὰ αὐτὰ ὄντα, & locus integer sic reddendus; *Panis enim & oleum vi aut potentiâ nominis (Christi) sanctificantur, quæ quidem eadem, secundum id quod apparet manentia, quæ accepta sunt, potentiâ tamen, aut quod ad potentiam attinet, in spiritualem potentiam transmutantur. Sic & aqua, & cùm exorcizetur, & cùm baptisma fiat, non tantùm illud quod pejus est retitinet, sed & sanctificationem assumit.*

§. 10. Vides hic *panem, oleum, aquam* pariter disponi, tria quidem eorum quæ per *consecrationem* in *spirituales potentias mutantur*, insignissima exempla, nec magis cum *pane, oleum*, quàm cum *oleo aquam baptismalem* confundi, totidem quippe sacrorum rituum elementa, quæ per *invocationem nominis* divini ad usus Ecclesiæ *sanctificabantur*, ut omnibus notissima, memorari.

§. 11. Quod verò hic *Theodotus* affirmat, Ecclesiastici planè numismatis esse, nemini dubium erit, qui *Cyrilli Hierosolomitani* locum plane gemellum contulerit, Κατηχ. μυς. γ. Ὥσπερ ὁ Ἄρτος μετὰ τὴν ἐπίκλησιν—οὐκ, ἔτι ἄρτος λιτὸς—οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον οὐκ ἔτι ψιλὸν—ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα— *Quemadmodum panis post invocationem, non jam simplex panis est, sic & sanctum hoc unguentum, non jam nudum & simplex unguentum est, sed charisma Christi.* Sed ista in præcursum & tanquam ex abundanti.

§. 12. His igitur sepositis, agmen qui ducat non indignus censebitur (qui circa annum CLXX floruit) *Theophilus Antiochenus*, l. 1. ad *Autolycum*, ubi ab hoc ipso *Chrismatis* usu Christianorum nomen deducendum statuit, Τοιγαροῦν ἡμεῖς τούτου εἵνεκεν καλοῦμεθα χριστιανοὶ, ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ, *Nos igitur hujus rei gratiâ Christiani vocamur, quod divino oleo perfundimur.* Ejusque imaginem ab *Athletis* petit, Τίς δὲ ἄνθρωπος εἰσελθὼν εἰς τόνδε τὸν βίον, ἢ ἀθλῶν, οὐ χρίεται ἐλαίῳ, *Quis mortalium est qui vel ingreditur in hanc vitam, vel certat in arenâ, & non oleo inungitur?* Duplex inter homines *Unctionis* usus, una *recens natis*, altera *athletis* adhibita, ut & in *Ecclesiâ* suam *Baptismus* (regenerationis ritus) *Unctionem* habet, suam *Confirmatio*, quâ ad ἄθλησιν roboramur.

*p. 77. B.

§. 13.

§. 13. Huic poſt paucos annos ſuccedaneus *Tertullianus* qui ſub finem ſecundi, & initio Tertii ſæculi ſcripſit. Et primùm libet celebrem l. *de baptiſmo* locum huc adduxiſſe, ubi poſt mentionem *benedictæ unctionis*, quâ egreſſi de lavacro perungimur (aliaque de baptiſmo adjecta *cap.* VII) initio *cap.* VIII. ſequitur, *De hinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum Sanctum.*] Cùm enim hæc ità diſtinctè & ſeparatim ponantur, prius in VII. poſterius in VIII. capite (certè non *continenter*, & *uno ſpiritu*) ut tradit * *Dallæus*) ut ad unicum baptiſmum referri nulla jam (ſi cum antedictis conferatur) probabilitas ſuadeat, nedum cogat neceſſitas, cùm *manuum Impoſitio Columbæ ex arcâ dimiſſæ* hìc comparetur, quæ poſt *aquas diluvii*, poſt *baptiſmum* mundi, pacem terris annuntiavit, cum diſſimile veri non ſit, de adultorum per * *Epiſcopum* baptizatione, aut ſaltem per * *Presbyterum* aut *Diaconum*, in præſentiâ ejus, ſermonem eſſe; Nil noſtræ cauſæ officit, ſi ſimul ſemelque, ſine ullâ ſpatii intercapedine, *manus impoſitionem*, cum benedictione Epiſcopali, *baptiſmum* ſecutam eſſe agnoſcamus, idque ex verbis illis [*Emergenti*, inquit, *de Lavacro Columba Sancti Spiritus advolat*] concludi. Illud tantummodò ex prædictis repeto, nullum de identitate argumentum, ex eo quod ſimul adhiberentur, duci poſſe, ni etiam *Euchariſtiæ* ſacramentum, quoties recens baptizatis communicabatur,

* p. 129.

† *Dandi habet jus ſummus ſacerdos, qui Epiſcopus eſt. c. 17.*

† *De hinc Presbyteri, & Diaconi non tamen ſine Epiſcopi authoritate.* Ib.

nicabatur, cum *baptismo* confundi, aut ejus seu *Ceremoniam*, seu *partem* fuisse credamus.

§. 14. Aliam interim *adultorum*, aliam in infantiâ baptizatorum rationem esse nemo nescit, illi enim nonnisi post *Catechesin* prævia[m], & anteactæ vitæ pœnitentiam, ad sacrum fontem admittuntur, Hos verò *Presbyter*, aut forte *Diaconus* tingit, dein, cùm adolescere cæperint, μαθήσει imbuit, tandemque ad Episcopum adducit, ut spiritum fidelibus à Christo promissum ex invocatione ejus recipiant.

§. 15. Quod si in *Romanâ Ecclesiâ* minus diligenter observatum sit, *Confirmatorio Chrismate*, ex vi antiquæ consuetudinis ad *baptismum* statim accedente, æquum est, ut mitissimus, & sapientissimus *Georgius Cassander*, pietatis non minus, quàm pacis amator unicus, audiatur, qui de *Confirmationis Tempore* fateri non veretur, non *displiciturum bonis viris, si ejus usus ad ætatem paulò adultiorem differatur, Quod quamvis*, inquit, *præter antiquæ Ecclesiæ consuetudinem sit (in quâ ad baptismum statim, si fieri poterat, Confirmatio sacri Chrismatis accedebat) tamen exemplo non prorsus caret, Nam & corporis & sanguinis Dominici Communio, haud secus utrique Baptismi & Confirmationis Sacramento adjungebatur, quæ & ipsa corporis & sanguinis Domini, ut illa Chrismatis, Confirmatio dicta fuit, ad quam tamen Dominici corporis & sanguinis Confirmationem,*

*consult. de pac. c. 9. de Confir.

firmationem, nunc Communi Ecclesiæ consensu in Ecclesiis potissimum Latinis, non nisi adultiore ætate pueros admitti videmus, quod quò minus in Confirmationis quoq; Sacramento observetur, nihil prohibet, imò suadent non pauca, quæ ibi subjungit vir optimus.

§. 16. Quin & hoc ipsum *Jure* * *Canonico* cautum est, ut scil. *Confirmandus sit perfectæ ætatis*, ut *moneatur prius Confessionem facere*, ut *sit jejunus*, &c. *Catechismus Romanus* duodecimum annum expectandum suadet, & insuper monet, non solum fidem, & pietatem adferre Confirmandos, sed graviora etiam peccata ex animo dolere, peccata confiteri, jejunia & alia pietatis opera suscipere, quæ non nisi ab adultis præstari possunt.

* *Decret. par. 3. Dist. 5. c. 6. & 7.*

§. 17. Ab hoc igitur (si cui hic aqua hæreat, aut dubitandi locus subsit) ad alia ejusdem *Tertulliani* dicta progredior, notissimum imprimis illud in *Lib. de Resurr. Carnis.* Cap. VIII. ubi cum de baptismo hæc tria diserte ponantur, *Caro abluitur, Caro ungitur, Caro signatur*, quæ omnia *baptismo* competere agnoscimus, sequitur, *Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur, Caro corpore & sanguine Christi vescitur*, &c. Ubi distincte proponuntur hæc tria, *Baptismus, Confirmatio*, & *Eucharistia*. Vt & *Lib. de Præscription.* Cap. XXXVI: *aqua signat*, Spiritu *sancto vestit*, *Eucharistiâ pascit*. Cum tamen Cap. XL. ubi de

de *Diabolo veritatem intervertente, ipsaque res Sacramentorum divinorum in Idolorum mysteriis æmulato*, sermo est, duo tantum sub Sacramentorum titulo, *Baptismum*, & *Eucharistiam* proponat [*& ipse quosdam*, ait, *utique credentes, & fideles suos expiationem delictorum de Lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ, signat illic in frontibus milites suos* (quibus omnibus *Baptismum*, ut in dicto *de Resurrect.* loco respexit) dein (nullâ manuum impositionis mentione factâ) *celebrat & panis oblationem.*

SECT. II.

Loca duo Cypriani. Exceptiones Dallæi refutantur. Gratia incrementa fidelibus promissa. Alia duo Cypriani loca.

§. 1. POST *Tertullianum, Cyprianus, Cornelio* suppar, adjici poterit. Et primo quod *Ep.* II. ad *Donatum* obscurius dictum est, sed ad hunc *Confirmationis* ritum, ut à baptismo divisum, respexisse videtur, hic apponatur. *Quantus*, inquit, *hic animi potentatus, quanta vis est? Non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, ut quis expiatus & purus* (clare hæc ad *baptismum* respiciunt) *nullâ incursantis inimici labe capiatur, sed & adhuc majorem & fortiorem viribus fieri* (in Confirmatione scilicet)

ſcilicet) *ut in omnem Adverſarii graſſantem exercitum, imperioſo jure dominetur.* At iſta in præcurſum poſita ſunt.

§. 2. Conſulatur autem præcipuè inſignis locus *Ep.* LXXIII. ad *Jubaianum*, ubi ſi non ex adverſariorum *Cypriani* objectione, certè ex ipſius reſponſione, eâque ab * *Auguſtino* approbatâ, manifeſtum redditur, Eam *Apoſtolicarum manuum Impoſitionem*, ſaltem ex iſtorum Patrum ſententiâ, ad *Confirmationem*, nec quovis modo ad *Baptiſmum* pertinuiſſe.

* *de Baptiſ. l. 3. c. 19*

§. 3. *Dicunt*, inquit, *quidam de iis* (qui contra *rebaptizationem* diſputabant) *qui de Samariâ baptizati fuerant, advenientibus Apoſtolis, Petro & Johanne, tantum ſuper eos manum impoſitam eſſe, ut acciperent ſpiritum ſanctum rebaptizatos autem non eſſe*] Adductus ſanè locus, ut rebaptizationem oppugnaret, & morem *Eccleſiæ*, quo ab hæreticis baptizatos recipiebant, ſtabiliret; At & illud obiter pronunciatum, *tantum ſuper illos manum impoſitam eſſe, ut ſpiritum reciperent.*

§. Verum non permittit *Cyprianus* hoc *Apoſtolorum* exemplum ad ritum illum Eccleſiaſticum, recipiendi eos qui ab hæreticis baptizantur, accommodari, ac proinde non de eo, ut de *baptiſmi* ritu, ſed de *Confirmatione* omnino loqui cenſendus eſt, ſuis iſtis ad *Jubaianum* verbis, *Locum iſtum, Frater chariſſime, ad præſentem cauſam videmus non omninò pertinere, Illi enim qui in Samariâ crediderunt, fide verâ crediderant,*

&

& intus in Ecclesiâ, quæ non est, baptizati erant, & idcirca; quia legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Johanne factum est, ut oratione pro iis habitâ, & manu impositâ, invocaretur & infunderetur super eo Spiritus sanctus. Quod, inquit, *nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram Orationem ac Manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*]

§. 5. Hic palam *Cyprianus* affirmat & dilucidè, ut vix potuerit magis, hunc *Confirmationis* ritum in Ecclesiam ab istâ *Apostolorum* praxi deductum, eumque & manuum impositione, & consignatione celebrari solitum fuisse.

§. 6. Quod enim doctissimus *Dallæus* ex
p. 155. voce [*deerat*] lucrari se posse sperat, totus, ni me animus fallat, frustrà est. *Illos,* inquit, *intelligit Cyprianus, quorum baptismo aliquid defuisset, ut qui vel à Presbytero cùm adesset Episcopus, baptizati erant, aut qui à viro Laico, aut si forte à Diacono, baptismum receperant, ut à Philippo Samaritani.*] At non dixit *Cyprianus* [*quorum baptismo aliquid defuisset,*] sed è contra, de Legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecutis disertè loquitur, nec igitur de iis quorum *baptismo aliquid deerat.* Is enim est legitimus Baptismus, cui nihil, quod leges Ecclesiasticæ ad

Baptismum

Baptismum ritè celebrandum præcipiunt, deest.

§. 7. Quid *Samaritanis* à *Philippo* baptizatis defuit, satis explicitè pronuntiavit *Cyprianus*, nempe ut *oratione pro iis habitâ, & manus impositâ, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus.* Hoc, verò nusquam ab Apostolis, nisi in baptismo præstitum affirmare, illud est, quod Dialectici τὸ ἐν ἀρχῇ appellant, ipsum scil. ζητούμενον, inidoneum planè ut se, multò magis ut aliud quicquam stabiliat, & (si quid video) Universæ Oeconomiæ Apostolicæ contrarium.

§. 8. Illis nihil frequentius, quàm fidelibus, & prius baptizatis locupletiorem spiritus largitionem precibus impetrare, ex vi promissi Divini, *Joh.* 7. 38. quo εἰς αὐτὸν (credentis sc. in *Christum*) ποταμοὶ ὕδατος ῥεύσουσι dicuntur. Hæc Spiritus sancti dona (sub Apostolis miraculosa) divinæque (etiam cum χαίρεμεν illæ non amplius in Ecclesiâ utiles erant) Gratiæ incrementa non negabit, sat scio, vir Doctissimus. Aſt quæ fidelibus tantum promittebantur, in baptismo non dabantur, nec enim omnes ab Apostolis ipsis baptizati, Linguarū donis, & χαίρεμεν imbuebantur. Restat igitur ut *Benedictio Apostolica* per manuum impositionem iis deesse potuerit, qui prius fuerant in genere baptismi perfecti, i.e. quorum *baptismo nihil defuisset*, & quod hoc sit *signaculo Dominico consummari*, nemo, crediderim, ambiget,

biget, qui nullo præjudicio abreptus, nullis partium ſtudiis addictus (quod de ſe *Dallæus* conſtanter profitetur) rem ipſam ab origine recenſuerit.

§. 9. His & illa accenſenda ſunt *Ep.* LXX. ubi ſic de *Unctione* à *Baptiſmo* diſtincta dilucidè pronuntiat. Poſtquam enim de iis quæ ad baptiſmum attinebant latè deſeruiſſet, de *Aquæ ſanctificatione*, & *mundatione* à *Sacerdote* facta, de remiſſa *peccatorum* à *baptizante* data, de *Interrogatione*, quæ in baptiſmo fit, Dein addit, *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate*, i. e. *Unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe Gratiam Chriſti poſſit.* Quibus peractis tandem ad *Euchariſtiam* procedit. *Perrò autem*, inquit, *Euchariſtia, &, unde baptizati unguntur oleum in altari ſanctificatur, ſanctificare autem non potuit oleum creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Unde nec Unctio ſpiritualis apud hæreticos poſſit eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe.*] Vides *Chriſmationem* à *Baptiſmo*, ut *Euchariſtiam* ab utroque ſejungi.

* *p.* 239.

§. 10. Sic, *Ep.* LXXIV. *Non per manus impoſitionem quis naſcitur, quando accipit Spiritum ſanctum, ſed in Baptiſmo, ut ſpiritum natus accipiat, Sicut in primo homine Adam factum eſt, ante enim Deus eum plaſmavit, & tunc inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ, nec enim poteſt accipi ſpiritus, niſi prius fuerit qui accipiat.*

p. 3. Col. 2.

Ecce

Ecce per *Baptiſmum* prius *naſcitur*, quàm *Spiritum* jam *natus*, ex manuum impoſitione, accipiat.

SECT. III.

Optati verba Examinantur. Oleum Peccatoris apud Pſalmiſtam. Objectio Dallæi. Reſponſio. Myſteria baptiſmatis. Βάπτισμοι. *Cyrillus Optato concinit. Verba* Mat. III. 17. *cum* Mat. XVII. 5. *Non ſunt confundenda Secundum* Dallæi *Argumentum. Tertium. Alter Optati locus. Dallæi obſervatio. Spalatenſis Argumentum ſolvitur.*

§. 1. A *Cypriano* ad *Optatum Milevitanum* progrediamur, cujus ſuffragio *liquere* affirmat * *Dallæus* tum *Chriſmationem, tum manus impoſitionem baptiſmi partes ac ritus fuiſſe, ad eumque pertinuiſſe.* Quàm auſpicatè & feliciter hoc à viro Doctiſsimo pronuntiatum ſit, ipſius *Optati* verba, *contra Parmen.* L. IV. teſtentur. * p. 246. † *Edit. Cantab.* p. 122

§. 2. Occaſionem ſermonis rectè annotavit, *Dallæus*, objectionem *Donatiſtarum* ex iis Pſalmiſtæ verbis acceptam, *quibus ait, Oleum peccatoris non unget caput meum.* Quæ quidem ſæpius

ad

ad *Baptismum* distorta (utpote à * *Petiliano* & * *Cresconio*) *Augustinus* fidenter rejicit, & de adulatoribus intelligenda demonstrat, *Optatus* verò, licet mystico sensu admisso, non de quovis tamen alio, sed peculiariter de domino *Christo*, non *ab homine sed à Deo Patre uncto*, accipienda, contra *Donatistarum* mentem contendit. *Descendit*, inquit, *in aqnam* (Christus) *non quod erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda, & ordinanda, & implenda baptismatis. Lotus, cùm in Iohannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, & complevit Pater quod rogavit filius, & quod nuntiaverat Spiritus S. Apertum est Cœlum, Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum, unde capit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre. Cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis, Hic est filius meus de quo benè sensi, hunc audite, hoc igitur est quod lectum est, oleum peccatoris non unget caput meum.*

Aug.l.11. con Petil. c.103. & l. 3. c.33.
* *Aug.cont. Cresion.l. l.11.c.24.*

§. 3. Hic iis, quæ *Christo* apud *Jordanem* acciderunt, non unum tantum, sed tres solennes Ecclesiâ ritus adumbrari putavit *Optatus*, *Baptismum, Confirmationem*, & *Ordinationem*, *Descensu quidem Christi in aquam*, *Baptismi in Ecclesiâ Sacramentum*; *Apertione* verò *Cœli*, simul & *Columbæ descensu*, *Chrismatis* seu *Confirmationis* ritum, ut & *voce Dei de nube dicentis, hic est filius*

lius meus, de quo benè sensi, hunc audite, sacrorum *Ordinum* Concessionem omnino designari.

§. 4. Quod ad primum attinet, *Descensu in aquam* figuratum esse *Baptismum* Christianorum res ipsa, & diserta verba [*Mysteria initianda, implenda & ordinanda baptismatis*] proclamant. *Apertio Cœli*, & *descensus columbæ*, *Confirmationem*, utroque & unctionis & impositionis Episcopalis manus ritu celebratam non obscurè designant. *Apertio* quippe *Cœli, Alabastri*, seu unguentarii vasis resignationem, aut apertionem referebat. *Descensus, obumbratio, insessio columbæ* ipsissimam manus impositæ imaginem præstabant.

§. 5. Nec verò ad aliam quàm, *Confirmatoriam Unctionem* respexisse *Optatum*, si hinc non pateat, quod post apertum Cœlum, *spirituale oleum in imagine columbæ* descendisse affirmet, (nullibi enim *Unctionem*, & *manus Impositionem*, nisi in *Confirmatione* confœderatas reperimus) id aliunde ex ipso *Optato* satis innotescit. L. VII. * *Oleum nominant, illum liquorem, qui ex nomine Christi conditur, quòd chrisma, postquam conditum est, nominatur*, de quo * statim adjicit, *confectum jam chrisma cutem conscientiæ mollire, animum innovare, sedem Spiritui sancto parare*, & * tandem eo *condire mores, incendi lumen mentis, ad salutem & veram intelligentiam.*] * p. 191. * p. 193. * p. 194.

§. 6.

§. 6. Quibus omnibus *Confirmationem* describi palam est, & ab ipso *Spalatensi*, qui *Dallæo* in * hac materiâ facem prætulit, * disertè conceditur.

† *De Resp. Eccl.* l. 5. c. 5.

§. 7. Ultimo vero loco, quod ad *vocem* Dei attinet *de nube dicentis, Hic est filius, hunc audite*, quâ, inquit *Optatus*, provisum est, ut *non defuisse videretur impositio manus*, eâ clarissimum est, verbi præconium, & ordines commodissimè describi. Quid enim aliud est in eo *Deum complacuisse*, hunc *audiendum* ab omnibus, quàm hunc ante alios ad voluntatis divinæ revelationem delectum, & missum esse? Cui ministrorum in *Ecclesiâ Ordinatio* disertè respondet.

† *Num.* 18.

§. 8. Hæc cùm ita sint, quæ quæso probabilis ratio, aut rationis umbra fingi hic potest, quâ aut cum *baptismo chrisma*, aut cum *chrismate ordinationem*, ex *Optati* suffragio, confundi nobis persuadeatur? *Baptizatus est Christus*, si illum audiamus, *ab homine, à peccatore à Johanne* quippe *Baptistâ*, *At oleum peccatoris non unget caput ejus*, nec igitur à quovis mortalium *ungendus* erat: A *Baptistâ lotus*, à *Deo Patre* ungendus. Et, quod amplius est, *prius lotus*, *post unctus*, Lotus cum in *Johannis* manibus haberetur, nondum verò, cum in ejus manibus esset, *unctus*, sed ut *Matthæus*, c. 3. 26. *Cum baptizatus esset Jesus, statim ascendit ex aquâ*, & *tunc demùm*, si *Optato* credimus, *Secutus est ordo mysterii*, & *complevit*

plevit Pater, &c. *apertum est cœlum Deo patre ungente*, planè ut peracto adultorum baptismate, *Episcopus* ad *chrismandum* procedit, *Pater* dictus, & *Dei Patris* imago, seu umbra, dum sic facit.

§. 9. Quid manifestius depingi potuit? Omnes certe baptismi ceremoniæ à *Baptistâ* petendæ erant, at *Unctio*, si *Optato* credimus, à *nullo mortalium Christo* adhibebatur: Concludimus ergo, ex ejus sententiâ, inter *baptismi* ritus, aut partes non fuisse *Unctionem*.

§. 10. At, inquit vir * Doctissimus, *Utramque tam unctionem quàm manuum impositionem inter ea censet Optatus, quæ à Domino in baptismo suo initiata, Ordinata & impleta sunt. Initiata autem, Ordinata, & impleta tunc à Domino fuisse dicit mysteria Baptismatis, sunt ergo, ex eo, & Chrismatio & Impositio manuum baptismatis mysteria*] Respondeo, quicquid *Optatus* de *Mysteriis* seu *initiandis*, seu *ordinandis* dixit, peculiariter ad *aquam* antecedentē pertinere (quæ ut per διδαχὴν βαπτισμῶν in plurali exprimitur, *Heb.* 6. 2. sic & hic per *mysteria baptismatis*) non vero ad *cœnum quod venturum fuit*. & quod *Aqua* antecedere debuit, multò minus ad *impositionem manuum*, quæ utique (si ipsis *Optati* verbis credamus) non statim, sed ex longo, ut mox patebit, intervallo sequebatur. * p. 246.

11. §. Certè de *Unctione* nullus dubitandi locus est; nam post *Lotionem* integram *Jo-*

hannis Baptistæ manibus peractam, secuta est *Unctionis imago*, magnum illud Ecclesiastici ritus prototypon, *apertio Cœli*, & *spirituale oleum in imagine columbæ descendens*, quæ cum insederit *capiti* ejus, aliqualem, ut diximus, manuum in *Confirmatione* impositionis umbram nobis exhibuit.

§. 12. His plane *Cyril.* concinit, Κατηχ. γ. Κἀκεῖνος μὲν ἐν Ἰορδάνῃ λουσάμενος ποταμῷ — ἀνέβη ἐκ τούτων, καὶ πνεύματος Ἁγίου οὐσιώδης ἐπιφοίτησις αὐτῷ ἐγένετο, τῷ ὁμοίῳ ἐπαναπαυομένου τοῦ ὁμοίου. *Cum ille quidem in fluvio lotus esset, ex aquis ascendit, & Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, similis super sui similem requiescens.* Vides *baptizatum* in *Jordane*, dein post ascensum ex fluvio, *descensum Spiritus*: Quibus statim respondent *Baptismus* & *Confirmatio*, Καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἑτέρων ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα τὸ ἀντίτυπον ᾧ ἐχρίσθη χριστός. *Et vobis, postquam similiter ex aquis Lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus.* Ὥσπερ ὁ χριστὸς μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἐξελθὼν κατηγωνίσατο τὴν ἀντικείμενον, οὕτως καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα, καὶ τὸ μυστικὸν χρῖσμα, ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἵστασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν. — *Ut Christus post baptismum, & adventum Spiritus sancti, egressus in prælium devicit adversarium, sic & vos post sacrum baptisma,*

baptisma, & Chrisma mysticum, induti armis Sancti spiritus adversus oppositam vobis potestatem consistitis. Vtrobique ut *Lavacro* ejus *Baptismus* noster, sic & *descensu spiritus Chrisma* notatum.

§. 13. At & præter hanc, *non defuit*, inquit *Optatus*, *Manus impositio* (exemplar ejus, non quam in *Confirmatione* sed quam in *Ordinatione* Ministrorum observat Ecclesia) verùm hæc, ut dixi, siqua verbis prolatis vis insit, è longo intervallo succedanea, cùm in *Tabore vox audita sit de nube dicentis, Hic est filius meus de quo benè sensi, Hunc audite.*

§. 14 Hæc enim verba, non ex *Mat.* 3. 17. sed ex *Mat.* 17. 5. disertè laudata fuisse, ex locorum comparatione clarè patet, præsertim ἐκ νεφέλης ἐπισκιάζουσα καὶ φωνῆς ἐκ νεφέλης, *nubis obumbrantis, & vocis de nube venientis* mentione c. 17. 5. additis insuper in calce, ἀυτοῦ ἀκούετε, *ipsum audite* (sine quibus *Mat.* 3. Οὐρανοὶ ἀνεῳγμένοι, *Cœli aperti* & φωνὴ ἐκ τῶν Οὐρανῶν, *Vox de cœlo* reponuntur) ideoq; non ad *descensus columbæ*, sed *Transfigurationis in Tabore*, ex diutino intervallo subsecutæ, historiam pertinere mihi videntur. In quibus si rectè calculum posuimus, sequetur illicò nullum his ultimis periodi verbis baptismatis (imò nec *Confirmationis*) ritum, aut mysterium, sed manuum in *Ordinatione* impositionem (cujus viva effigies erat ἐπισκιάζουσα νεφέλη *adumbrans nubes*) adumbratum esse. Hæc omnia an *Dal- * p. 246.

leus adverterit, quia hæc tria tam latè divisa, de industria confudit, & *Baptismum*, *Confirmationem*, *Ordinationem*, singula suis reponenda classibus ad unicum *baptismum* in *Jordane* (Mat. 3. descriptum) retulit, ipse viderit.

§. 15. At *secundò*, urget * *Dalleus*, hinc *cerni initiatos, ut loti erant, continuò chrismatos fuisse, nam spirituale oleum, inquit Optatus, statim in imagine columbæ descendit, nunc non nisi multis post loti nem annis apud nostros Latinos inunguntur*] Respondeo I. aliam esse *adultorum*, aliam *infantium* baptizatorum rationem, infantium baptismum non statim, sed post plures annos sequitur, aut saltem sequi debet *Confirmatio*, at non sic *adultorum* (quorum imaginem in *Christo* nobis depinxit *Optatus*) eorum enim baptismum *Confirmatio*, ut *Confirmationem Eucharistia* participatio apud antiquos statim sequebatur.

* p. 246.

§. 16. Alia itidem ni fallor hujusce rei causa suberat, nimirum quod antiquitùs *Baptismus* publice statis anni temporibus, & solùm in *Basilicâ*, seu *Cathedrali Episcopi Ecclesiâ* habebatur, quo *competentes* omnes ex universâ *Diœcesi*, illius gratiâ, accedere mos erat. Hinc præsentiæ Episcopi frequens mentio, cum de *Baptismo* sermo incidit, ut & monita illa *Greg. Nazianzeni*, aliorumque notissima, ne ob itineris tædium se a sacro *Lavacro* deterreri *Catechumeni* patiantur. Quibus consequens est (ne sibi duplex

plex negotium faceſſeret *Antiſtes*, aut Plebi inferat) ut πιστισμένοι ad *Epiſcopum* ſtatim perducti, eâdem fere operâ inſuper *confirmarentur*.

§. 17. Hæc vero ſic ad adultos peculiariter, ſub prima antiquitate, pertinentia, ad poſteriorum ſeculorum infantes trahi nulla neceſſitas cogit. Imo morem iſtum (non ſine ratione, at nec ſine laude) tandem obſoletum fuiſſe nemini ignotum eſt, dum *extra ordinem* (ut recte monet *Caſſander*) *quocunque tempore, quocunque loco infantes baptizarentur, nec Epiſcopi ſemper ad manum eſſent, ideoque ſolemnis illa cum impoſitione manuum & Chriſmatis conſignatione Confirmatio referri cœperit nonnunquam etiam in adultiorem ætatem, quod*, inquit ille, *antiquitùs non fiebat*.

§. 18. At, & *tertio*, ſic arguit * *Dalleus*, *Optatum hoc loco ſingulos baptiſmi ſolennes ritus, lotionem, chriſmationem, & manus impoſitionem baptiſmatis myſteria vocare*] Imo *deſcenſum in aquam, cùm nihil in Deo eſſet quod mundaretur*, ideò tantum *Chriſto* competiiſſe dicit *Optatus*, quia *venturum eleum aqua debuit antecedere*. Quibus verbis (*deſcenſus* nempe *in aquam*, & *mundationis* mentione) nec *unctionis*, nec *manus Impoſitionis myſteria* ab eo attinguntur, ſed tantum *baptiſmatis*, ritus ſcil. *baptiſmales*, quos in *baptiſmo Chriſti initiari, ordinari, impleri* putavit *Optatus*, quum *Chriſmationem ſpirituali Oleo* * *Ibid.*

in

in imagine Columbæ descendente, & perfundente eum, manus impositionem voce Dei de nube auditâ præfiguratam censeret. In re manifesta pluribus opus non est.

L. 7. p. 193. §. 19. Est & alius * *Optati* locus, modò laudatus, quo *chrisma animum innovare, & lenem sedem Spiritui sancto parare* dicitur, *ut invitatus, asperitate fugatâ, libentèr inhabitare dignetur.* Hunc cùm *Tertulliano* conferri postulat * *Dallæus, ubi Spiritus sanctus manuum impositione per benedictionem advocari & invitari dictus est, at ex hinc nihil amplius concludit, quàm Chrismationem præcessisse manus impositionem secutam esse.*

* p. 247.

§. 20. Hoc si *Dallæo* concedatur, nihil aut hypothesi ejus emolumenti, aut nostræ detrimenti exurget, nec enim de nudo *Ceremoniarum* ordine litem cuivis intendimus, nec *Unctionem* in *Confirmatione* omninò adhibemus, solâ *benedictione, manusque impositione* contenti. Præcedat ergo, nobis neutiquam refragantibus, quoties adhibetur *Chrismatio*, sequatur *impositio manuum.*

§. 21. Verùm & illud adjicio, nullum planè ex hoc *Optati* loco, huic observationi locum esse, cùm *Chrismatio*, & *manuum Impositio*, quatenus ea *Confirmatio* notatur, ejusdem *Ecclesiasticæ* institutionis diversæ appellationes sint, ideoque *Optatus* de *Chrismatione* idem pronuntiâsse dicendus est, quod *Tertullianus* de *manuum Impositione*

sitione affirmavit, eâ scil. in *Confirmatione ad hibit à invitari & advocari spiritum, lenem sedem Spiritui sancto parari, ut & condiri mores, lumen mentis incendi*, &c.

§. 22. At (licet id *Dallous* omisit) * *Spalatensis* hinc aliud Argumentum nectendum putavit, *Optatum* scil. contra *Donatistas* disputantem, *Eas muscarum morientium, qui corrumpunt Unguenti suavitatem, titulo notandos exinde ostendere; quod ad eos ex Catholicis venientes rebaptizarent, & consequenter denuò ungerent, si autem Unctio haec esset distincta à Baptismo, sat*, inquit, *fuisset Optato Donatistis objicere, Eos corrumpere Unguentum qui denuò Chrismate ungerent. At* (inquit) *ille rebaptizationem sumpsit, quia Unctio erat pars Baptismi, & qui baptismum repetebant, necesse erat, ut etiam Unctionem repeterent, quae apud Catholicos daretur.*] * † *de Rep. Eccl. l. 5. c. 5. n. 17.*

§. 23. At advertere debuit Insignissimus Archiepiscopus, *Donatistarum* Schisma, & Errorem in eo praecipuè positum fuisse, quod apud *Catholicos* semel baptizatum, & ad ipsos venientem rebaptizarent, cui quidem consectaneum fuit, ut & eundem, si *Chrismationem* apud *Catholicos* adeptus sit, reungerent. Verùm illud primarium, reiterati Sacramenti ab ipso *Christo* instituti, piaculum, & scandalum, grandius erat, & adversus quod *Catholici* acrius & fervidius dimicabant, quàm secundarium, & consectaneum hoc, quod *Ecclesiasticum* tantummodo ritum

ritum attigit. Nec igitur *Optato* satis fuisse ad *Donatistas* oppugnandos, si *Vnctionem* ab illis repetitam objiceret, nisi & *Baptismum* reiteratum exprobaret, optimè autem utrumque conjunxisse, cum illi utrumque facerent, nec enim accusandum *Bellatorem*, si, quem opprimere instituit hostem plusquam satis expugnaverit, si quem superasse, aut fugasse sufficerat, captivum insuper duxerit, victoriamque triumpho ornaverit, ex abundanti. Ea igitur planè causa fuit, quòd rebaptizationem sumeret *Optatus*, non quia *Vnctio* erat *quasi pars baptismi*, (quod hypothesi suæ acceptum refert *Spalatensis*, certè ab *Optato* non didicit) sed quia in eo imprimis *Donatistarum* fermentum cerneretur, quod *baptismum* iterarent.

SECT. IV.

SECT. IV.

Testimonium Paciani. Dallæi exceptiones. Obscuriora Paciani verba ex clarioribus illustrata. Agitatio in alvo. Fides pronuba. Objectio Dallæi. Ex alvo matris effundi. Renasci, & in novitate vitæ ambulare. Alter Paciani locus. Alter.

§. 1. POST *Optatum*, *Pacianus Barcinonensis*, in *Hispania* Episcopus, sub finem quarti sæculi, si placet, audiatur, (qui *Chrismationem inter solennes Baptismi ritus manifestè censere* * Dallæo visus est) *Lavacro*, inquit ille, *peccata purgantur*, *Chrismate Sanctus spiritus superfunditur*, *Vtraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus*, *atque ita locus homo renascitur*, *& innovatur in Christo*, *ut sicuti resurrexit Christus à mortuis*, *sic & nos in novitate vitæ ambulemus.*] * *De Confirm. p. 248*

§. 2. *Lavacro* vides *purgationem peccatorum* distinctè tribui, *Chrismati superfusionem Spiritus sancti*, utrique totius *renascentiam*, & *innovationem in Christo*, priorem *morti*, posteriorem *resurrectioni Christi* parem, quam sequitur (utroque hoc ritu solenniter obstricta) *in novitate vitæ ambulatio*. Nec in unum, spero, *Paciano* Judice, com-

compingenda censebis, de quibus ille disertè pronuntiat [*utraque*].

§. 3. Alia quidem sunt, quæ his præcurrere, & *facem* si placet, *præferre* voluit *Dallæus. Primo enim*, inquit, *ipse Sermonis titulus, qui de baptismo est, clamat, Quorsum enim hæc, si non pertinent ad baptismum, in ea tractatu agitat, qui de baptismo est? Tùm ipse Author in limine præfatur, Aperire desidero*, inquit, *qualiter in baptismo nascamur, & qualitèr innovemur. Dein multa addit quæ baptismum manifestè respiciunt, præcipuè verò ea quibus affirmat nos non ante nasci, quàm spiritum acceperimus, spiritum porrò Chrismate in nos superfundi: Denique ista, de quibus dixit, Christum, sc. recipere, & nasci*] *complere alias* negat *posse, nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento.*] At respondeo.

§. 4. Agnosco quidem, Primò ex Sermone de *Baptismo* hæc desumi, at eo non minùs ad *Baptizatos*, seu *fideles*, quam ad *Catechumenos* seu nondum baptizatos habito, nec quicquam igitur prohibere, quin qui multa in prioribus de *baptismo* deseruisset, hæc jam de *Confirmatione*, adultorum baptismati statim superadditâ, adjiceret.

§. 5. *Secundò*, quæ de *Lavacri* & *Chrismatis*, & *Antistitis Sacramento* dixit. *Pacianus*, ea quidem obscuriora fateor, quàm ut ego huc, injussus, adducenda putarem, adducta tamen nequaquam

quam mihi obfutura, qui *Confirmationem* inter *Sacramenta* non numero, & per plurale [*utraque*] diſcernenda contendo, quæ per *Sacramenti* mentionem conjungi nulla neceſſitas cogit. Quinetiam ſubobſcuri, quod ideo non poſſui, Commatis ſenſus, ex clarioribus, quæ poſſui, dijudicari non difficulter poteſt; ſub *Sacramenti* quippe ἁγιαστικῷ, & generali vocabulo, tres ſolennes *Eccleſiæ* ritus comprehendi putes, quorum ſinguli ad conſummandos filios Dei comparati ſunt, *Baptiſmum*, *Confirmationem*, & *Ordinationem*, ſive *Antiſtitum Creationem*, qui ratione officii, & *lavant* Catechumenos, & lotos *chriſmant*. Nec igitur cum *Baptiſmo* magis confundi *Chriſmationem*, ſtatues, quam cum *Chriſmatione* Ordinandorum Conſecrationem.

§. 6. *Tertiò* nobis extra omne dubium ponitur *Spiritum Domini* in *Baptiſmo* dari (nec enim aliter verum eſſe *ex aquâ & ſpiritu baptizari*) cujus tamen largioribus rivis homines & in Confirmatione perfundi, & prolui æquè non ambigimus. Sic certè *Samaritani* à *Philippo* loti, *Spiritu Chriſti* rigabantur, quos tamen poſtea ejuſdem Spiritus uberiora fluenta, ab Apoſtolorum manibus manantia inundabant.

§. 7. Hæc, ſi quid video, eorum quæ in *Paciano* proceſſerant, & à * *Dallæo* laudata videas, ipſiſſima ſententia eſt [*Chriſti*, inquit, *ſemen*, i. e. *Dei ſpiritus novum hominem alvo matris agitatum*, * p. 248.

tatum, & partu fontis exceptum, manibus Sacerdotis effundit, fide tamen pronuba] *Agitatio in alvo matris*, ad Catecheſin reſpexiſſe videtur, *fides* ad baptiſmum præparavit, *Partus fontis*, ipſe baptiſmus fuit, in eo datus eſt *Spiritus*, Qui vero ſic ex *aquâ & ſpiritu baptizatus* eſt, *novus homo* agnoſcitur, & ut totius inſequentis vitæ actionibus *innovetur*, *manibus ſacerdotis*, aut *Antiſtitis*, i.e. *Epiſcopi effunditur*, aut *advolvitur*, quo dilucidè *Confirmatio* baptizatorum notatur, ut & iis quæ paulo præceſſerant [*veniente deſuper Spiritu Domini*, &c. *nos viſceribus matris inoleſcere, alvoque ejus effuſos vivificari in Chriſto*] ad hanc quippe vivificationem in Chriſto, Nativitati ſpirituali ſuccedaneam benedictionem *Antiſtitis* utilem imprimis eſſe (etſi Novatoribus aliter viſum) *Pacianus* certè nullus dubitaverat.

§. 8. At, inquit * *Dallæus*, *tunc naſcimur, cùm alvo Matris effundimur, nec alio Sacramento naſcimur, quàm baptiſmo*, * *nec potuit Pacianus clariùs eloqui, quâm cùm diceret, totus homo renaſcitur, & innovatur in Chriſto: Lavacro ſcil. & Chriſmate innovari, renaſcique totum hominem credidit.*]

* p. 249.
* p. 250.

§. 9. Reſpondeo I. Ex eo quod tunc *naſcitur* quis, cum ex *alvo matris effunditur*, non ſequi, quod cupit *Dallæus*: Aliud enim eſt ſimpliciter *ex alvo matris effundi*, aliud *partu fontis exceptum*, i. e. jamjam baptizatum, *effundi manibus ſacer-*

ſacerdotis, eo enim liquidò ſignificatur ad *Epiſcopum* adductio ejus, qui prius baptizatus eſt. II. Diſtinguenda ſunt, quæ confundit Dallæus, *renaſci, & in novitate vitæ ambulare*] *Renaſcentia*, aut (ut poſt *Cyprianum* alii) *Innovatio* eſt ipſiſſima ſine dubio in baptiſmo παλιγγενεσία, cujus Lavacro peccata purgantur. At præter hanc eſt ipſa, poſt vitæ Chriſtianæ ingreſſum, *Mandatorum obſervatio*, vel in *novitate vitæ ambulatio*, quam fidelis (fide, inquit *Pacianus*, *pronubâ*) in *Confirmatione* ſolenniter ſpondet, & ad quam feliciter peragendam largiores ſpiritus rivos baptizato Epiſcopus precatur.

§. 10 Hanc certe *Paciani* ſententiam fuiſſe palam faciunt verba commatis ultima, *totus homo renaſcitur & innovatur, ut ſicut reſurrexit Chriſtus à mortuis, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ubi ſine dubio, ut *morte Chriſti*, baptiſmus, & renaſcentia noſtra notantur (videantur *Pſeudoclementis* verba modò prolata) ſic & *reſurrectione Chriſmatio*, & in *novitate vitæ ambulatio*. Ad priorem dabatur in *Baptiſmo*, *Spiritus*, *Aquæ* comes, quo purgantur peccata, ad poſteriorem in *Chriſmate* ſuperfunditur *Spiritus ſanctus*, a ſanctitate, quam ingenerat, ſic dictus. Reviſat *Dallæus*, niſi diſpliceat, locum integrum, & me forſan verum dixiſſe non diffitebitur.

§. 11. Quibus ſic expoſitis, clariora jam erunt quæ ex ejuſdem *Paciani Epiſt. I. Bellarminum* adduxiſſe ait * *Dallæus*, *Si ergo & La-*

* p. 250.

vacri

vacri & Chrismatis potestas, majorum longè Charismatum, ad Episcopum inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit, & solvendi] Tres Ecclesiæ ritus, *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Pœnitentia*: Et ibidem, *An tantùm hæc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare*] Quid clarius? æquè scil. distingui *Baptismum* à *Confirmatione*, ac *Confirmationem* à *Pœnitentiâ*. Nec certè nobis obstat, quæ *Bellarmino* *Dalleus* objici posse putavit, quibus tamen non immorabor.

† *Orthod. p.* 130.

§. 12. Sed & * alibi idem *Pacianus*, *Vestræ plebi unde spiritus, quem non consignat unctus sacerdos?*] *Consignatio*, ut videtur, *Spiritum* impetrandi ritus, non quod nullus baptismo *Spiritus* promittatur, sed quod fusiores haustus *septemplicis* (ut ait *Hieronymus*) *Spiritus* in *Confirmatione* imbibantur.

SECT.

SECT. V.

Testimonia Hieronymi lucidissima. Unctiones plures. Pœnitentes uncti.

§. 1. HIs adjungatur, ut *Paciani*, sic & *Damasi* συγχρονος, *Hieronymus*, in *Dialogo inter Orthodoxum & Luciferianum*, ubi hanc, ut *Ecclesiæ universæ consuetudinem*, & *Legem Luciferianus* suggerit, *Orthodoxus* libenter agnoscit. *An nescis*, inquit *Luciferianus*, *Ecclesiarum hunc morem esse, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum est? in actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ Authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt*, &c.] Quibus *Orthodoxus* respondet, *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti spiritus manum imposituru*s *excurrat.*]

† to.2. c.4. p.166.

§. 2. Et iterum, *Quod si quæris quare in Ecclesiâ baptizatus non nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc observationem ex*

eâ

eâ authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotii quàm ad Legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt qui in viculis — per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.

§. 3. Et cùm illud sibi objici posse prævideret, quòd cùm *audissent Apostoli, Samariam verbum Dei recepisse, miserunt ad eos Petrum & Johannem, qui cùm venissent, oraverunt pro iis ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim acciderat super ullum eorum.* Cur id factum sit, in sequentibus disci jubet [*Ipse enim ait, sed solum baptizati erant in nomine Domini Jesu, Tunc imponebant illis manus & accipiebant Spiritum sanctum.*]

§. 4. Ecce omnia quæ *Hierarchici*, ut dicimur, *Britanni* de *Confirmatione* à *Baptismo* divisâ, de *Spiritu S.* fidelibus per solam manuum *Episcopi impositionem* dato, *&c.* philosophamur, ab *Hieronymo Presbytero*, Prælatis ante omnes Patres infensissimo, ita libere concessa, ut aliorum testimoniis opus non sit.

§. 5. Quæ hic aut *Bellarmino* de *Sacramento chrismatis* Dallæus objicit, aut *Aurelio*, de *chrismatis* usu, cum *Sirmondo*, *Dallæus*, nos planè non attingunt, qui nec *Confirmationem Sacramenti* titulo insignimus, nec *Episcopali* manuum impositioni, & benedictioni, quibus rem totam confi-

cimus

cimus, *Chrisma* ἐκ θεωνοῦ adjungimus.

§. 6. Certè quod ad *Aurelium* attinet, apertiora sunt *Hieronymi* verba, à nobis jamdudum recitata, quàm ut de *Chrismatis*, in Baptismo, usu, sub ejus saltem ævo, in quibusdam Ecclesiis obtinente, dubitari rectè queat. Sed & ante *Hieronymum Tertullianus* l. * *de Baptismo*, aliique in eandem sententiam prius à nobis adducti sunt. * *Cap.* 7.

§. 7. At nec argumento à nomine desumpto evicerit vir Doctissimus, seu *Confirmationem*, quam dicimus, seu, si mavis, *Chrismationem*, non nisi inter *baptismales Ceremonias* reponendas esse, cùm eundem ritum (unguenti puta, aut *chrismatis*) in pluribus officiis sacris adhibitum fuisse, nihil vetet, in *Baptismo* scil. in *Confirmatione*, in *Ordinatione*, imò & in *Pœnitentiâ* (ut de *Extremâ Vnctione* taceam) sic tamen ut reliqui ab aliis primariis ritibus appellationem sortiantur (*Baptismus* a *mersione* non ab *unctione*, *Ordinatio* & *Pœnitentia* ab *Ordinatorum* & pœnitentium, per impositionem manuum, receptione, non ab *Vnctione*) Una sola, inter has, *Confirmatio*, eaque ex celeberrimo Orientalis Ecclesiæ usu, *chrismationis* titulo insigniatur.

§. 8. Audiatur *Hieronymus* in loco priùs laudato, *Ac ne fortè qui chrisma Baptismi perdiderunt, desperent de chrismate reparando, scriptum est enim in Levitico, quòd Leprosus — cùm ad sacerdotem venerit, mittat sibi sacerdos oleum*, &c.]

Gemina vides *chrismata*, ut *Baptismi* unum, *Pœnitentiæ* alterum, nec mirum est, si & *Tertium*, *Confirmationis*, aliquæ saltem Ecclesiæ partes, omni ferè ævo, agnoverint. Loquatur iterum * *Spalatensis*, quem hypothesi ipsius imprimis faventem facile agniturus est *Dallæus*; *Chrismate Baptizamus, Chrismate Confirmamus, Chrismate Presbyterum, Chrismate Episcopum Ordinamus, Chrismate & signo crucis consecrantur Campanæ, Altaria, Ecclesiæ, Calices æquè ac homines.*

† *De Rep. Eccl.* l.5.c. 5. *num.*28.

§.9. Quid hinc ad adjudicandam Presbyteris *Chrismationem* colligi possit, prius vidimus, *Confectionem chrismatis Episcopis* solis competere monstrantes, cùm interim *Confecti usus* ad *Presbyteros*, imò & *Diaconos*, modò ἐκ ἀνεὶ γνώμης ἐπισκόπου, pertinuerit, sic quidem dilucidè, verbis modò allatis, pronuntiavit *Hieronymus*, *Chrismate & jussione Episcopi simul positis, sine quibus*, inquit, *neque Diaconus baptizandi jus habet.* Quæ verba de *Chrismate* ab *Episcopo* confecto, sine dubio intelligi voluit.

* *p.* 262. §. 10. Hæc an * *Dallæus* agnoverit, cum *Bellarmino* de *Confirmatione Hieronymianâ* differenti, eamque *Episcopis* solis ex *Hieronymi* suffragio adjudicanti, *Hieronymum* ipsum strenuè & fervidè opposuerit, illum *non modò solis Episcopis Chrismationem non vendicare*, contendens, sed contra, *clarè liquidòque statuere*

Presby-

Presbyteros aut etiam Diaconos cum chrismate baptizare] nolo hic penſiculatius indagare.

SECT. VI.

Ambroſii Liber de Sacramentis rejectus à Dallæo, at à Spalatenſi laudatus. Ejus teſtimonium quam nobis non infenſum. Liber de Solomone.

§. 1. POST *Hieronymum*, *Ambroſius* conſulendus erat, ex cujus libro de *Sacramentis* multa * *Spalatenſis*, ut ex *libro de Solomone* unicum (quod & ab *Aurelio* quoque citatum) *Dallæus* adduxit: At illum *de Sacramentis* adulterinum fœtum fuiſſe, à *Ro. Coco* noſtro fuſè demonſtratum ait * *Dallæus*, cum tamen hunc de *Solomone*, de quo dubitaſſe *Eraſmum* fatetur, ipſe adducendum exiſtimet.

† *de Rep. Eccl. l. 5. c. 5. n. 19.*

* p. 267.

§. 2. Nos Criticorum diſceptationibus hic non immiſcebimur, ea interim quæ uterque tum *Spalatenſis*, cum *Dallæus* ex *Ambroſio* laudavit, nobis nihil officere monſtraturi. *Poſt fontem* (inquit * liber tertius de *Sacramentis*) *ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad Invocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* Addit itidem

* c. 2.

hanc *Ceremoniam*, *tanquam ultimam*, *& totius baptiſmi conſummationem*, *ac perfectionem*, *aliis præcedentibus*, *albæ veſtis*, *lotionis pedum*, &c. *ſubjici*.

§. 3. Nos certe omnia concedimus, nihil inficiamur, nec enim nobis officiet, ſi *baptiſmus* in genere *baptiſmi* aut *ſacramenti initiationis*, ſatis *perfectus*, aliam adhuc alterius generis perfectionem deſideret, ulteriori ſcil. baptiſmalis profeſſionis *Confirmatione*, ſimulque *Spiritus Sancti* fidelibus promiſſi largitione complendus.

§. 4. Hæc certe doctrinæ noſtræ de *Confirmatione* ſumma eſt, quam non aliis verbis commodius aut felicius exprimi poſſe putamus, quam quibus author ille, quiſquis eſt, utebatur, *Poſt fontem*, (ſcil. baptiſmalem, cui Catechumenus immergitur) i. e. poſt *baptiſmum* omnibus & partibus, & Ceremoniis ſuis abſolutum, rite & legitime miniſtratum, *ſupereſt ut* (vel ſtatim, vel poſt aliquod intervallum) *perfectio fiat*, eo ſcil. qui baptizatus eſt ad *Epiſcopum* (quem ab *Ambroſio*, & hoc, quiſquis eſt, ſcriptore, *ſacerdotis* titulo notari extra dubium eſt; cum hoc ipſo loco *Petrus ſacerdos Romanæ Eccleſiæ* dicatur) adducto, ut profeſſionem baptiſmalem firmius conſignet, & per invocationem ejus, ſeu benedictionem, ſpiritus in baptiſmo datus auctiore jam, & pleniore fluento in *Confirmatione* infundatur.

§. 5. Verum addit Clariſſimus *Præſul*, *poſt eam* (*Con-*

(Confirmationem) explicatum, pergere adhuc Ambroſium, l. 4. c. 1, 2. ipſum baptiſmum conſiderare, Poſthac ad Sacramentum Euchariſtiæ conſiderandum accedere.]

§. 6. *Reſpondeo*, libris his de *Sacramentis* nuncupatis; Duo tantum ea, quæ a Chriſto inſtituta ſunt *Sacramenta* tractanda proponi, *baptiſmum*, ſcil & *Euchariſtiam*, *Confirmationem* non ex inſtituto, ſed obiter tangi, nec igitur mirum eſſe, ſi poſt ejus l. 3. c. 2. *factam mentionem*, *Baptiſmum ipſum* conſiderare pergat l. 4. c. 1, 2. Quæ ad inſtitutum imprimis pertinebant, ordine ſuo diſponenda erant, & prius *baptiſmus*, poſterius Euchariſtia tractanda. Quæ præter inſtitutum, ἐν παρέργῳ, & ex abundanti adjiciuntur, ad ea methodus non pertingit, ſed libere, ubi occaſio ſeſe obtulerit, cuivis Commati, tanquam in παρενθέσει paſſim adjiciuntur.

§. 7. Nulla igitur adhuc Argumenti Umbra, quo *Confirmationem*, aut *Obſignationem* baptiſmalis ritus partem eſſe ex his *Ambroſii* de *Sacramentis* verbis vir magnus concluſum putet.

§. 8. Verum *Dallæus*, hoc de *Sacramentis* opere inter aperte ſpuria, *Ambroſio* abjudicato, non aliud ex libro de *Solomone* adduxit, quam [*Spiritum per Chriſmatis Vnctionem à Chriſto dari*] Hoc item ſatis commode ad rem noſtram, cum per *Spiritum* auctiora *Spiritus* dona notari

clariſſimum

clarissimum sit, quæ non (ut gratis postulat *Dallæus*) in *mysterio initiationis Christianæ Catechumenis* dari, sed in *Confirmatione* recens *Baptizatis*, seu *fidelibus* adjici æque notum est, ac quod notissimum.

SECT. VII.

Augustini primum Testimonium. Descensus Columbæ in Christum Baptismi pars non erat. Secundum, Tertium, Quartum, Quintum, Sextum.

§. 1. AT *Ambrosio*, cui hæc abjudicant *Critici*, tandem omisso, *Hieronymo* Augustinus, si placet, adjungatur, de * *Trinitate*, cujus hæc sunt verba, *Orabant* (discipuli) *ut veniret* (Spiritus sanctus) *in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*]

* *L.* 15. *c.* 26.

§. 2. Quicquid ex hujus loci circumstantiis concludi contra *Romanistas* voluit *Dallæus*, nos jubentes largimur. *Meram* autem (quod fidenter etiam pronuntiat) *Baptismi Ceremoniam esse*, nullo sane Argumento approbavit. Imo cum ab *Apostolorum* praxi morem hunc Ecclesiam duxisse affirmet *Augustinus*, eumque *nonnisi*

in

in præpositis servare, *Apostolos* vero non in *baptismo*, sed ad impetranda *prius baptizatis dona Linguarum*, hunc ritum adhibuisse notissimum sit, cumque hoc ipso loco *Simonem Magum* offerentem Apostolis pecuniam, &c. inducat *Augustinus*, manifestissimum redditur, de *manuum impositione*, non ut *Ceremoniâ* ad baptismum attinente, sed ut solenni ritu Ecclesiastico, *Episcopis*, sub *Præpositorum* nomine reservato, locutum esse.

§. 3. Idem statim per *baptizatorum Unctionem* notasse videtur, de *dono Gratiæ* differens, *quod*, inquit, *visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Ex quo cùm, post *Spalatensem*, *Dallæus chrisma baptismi* ipsius ritum fuisse statim concludat, interrogetque, *Quid enim aliud est, quod ait Ecclesiam baptizatos ungere?*] Non videt, quod ut alii videant, perspicillis non indigent, æquè saltem, si non magis commodè, dici *Ecclesiam baptizatos ungere*, quos peracto baptismo statim ungit, ac quos *in* ipso linit *baptismate*.

§. 4. Nec sanè, quod addit *Augustinus*, *Christi in baptismo columbam unctionem nostram præfigurasse.*] hoc (ut * *Dallæo* visum est) certius docet. Nec enim ea sunt *Augustini* verba [*Christi in baptismo columbam*] aut, ut *Dallæus* statim, *in Christum columba in ipso baptismo descendit*] sed [*quando super eum baptizatum velut columba descendit*] nec si fuissent, *Augustino* credendum erat, * p. 293.

erat, cùm nos multò certiùs *Evangelista* doceat, *descensum columbæ* nullam baptismi partem fuisse, sed baptismum planè secutum esse, καὶ βαπτισθεὶς Ἰησοῦς εὐθὺς ἀνὸ τοῦ ὕδατος, & *cùm* (inquit) *baptizatus esset Jesus*, i. e. *cùm omnia ad baptismum à Baptistâ* peracta essent, *statim ex aquâ ascendit*, καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *Et ecce* (post ascensum ex aquâ, qui, ut dictum est, *baptismo* succedaneus erat) *Cœli illi aperti sunt, & vidit Spiritum descendentem ut columbam*, &c. videantur quæ modò ex *Optato* attulimus.

§. 5. At, inquit *Dallæus*, *cùm nulli in Ecclesiâ sint non baptizati, omninò necesse est baptizatos esse hic* τοὺς βαπτιζομένους; τοὺς βαπτιζομένους, *eos qui baptizantur*] Quasi verò illi qui *olim* baptismo donati sunt, non sint æquè, imò magis propriè in *Ecclesiâ*, quàm ipsi qui *jam baptizantur*.

* *De Conf.* c 8. §. 6. Alterum *Augustini* locum ex * *Bellarmino* hic adjungendum curavit vir * Doctissimus, * *Quædam* inquit, *Sacramenta ore accipimus, quædam per corpus, quædam in fronte per signum crucis.*] Hic certè ut *Eucharistia*, quæ *ore accipitur*, à *baptismo*, qui per *totum corpus diffunditur*, sic utraque & *Eucharistia*, & *Baptismus*, à *Consignatione* in *fronte*, i. e. à *Confirmatione* distinguuntur.

* p. 294. * *In Psal.* 141.

§. 7. Sic & *de Baptismo contra Donatistas* L. 3. * *Spiritus autem S. quòd in solâ Catholicâ per manus impositionem dari dicitur*, &c. Et mox, *Neque*

* *Cap.* 16

Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem, modò datur Spiritus S. sicut antea dabatur ad Commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut iis quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum Pacis eorum cordibus divina charitas inspirata, &c. Vides hanc in Ecclesia, *Augustini* ævo, celeberrimam *Impositionem manuum*, sic ab *Apostolicâ* derivari, ut hoc tantum differat, quod *Divinæ* tunc *gratiæ Charitas*, non dona, ut olim, miraculosa, hoc ritu impetrentur.

§. 8. Dein sic rem omnem concludit, *Manus autem impositio non, sic ut baptismus, repeti potest: Quid est enim aliud nisi Oratio super hominem?* (ad hanc Sancti Patris normam amussitavit Officium suum Ecclesia nostra, & solâ *Oratione*, & *benedictione* paterna rem omnem confecit, omissâ *Latinorum* recentiori formâ, *Signo te Confirmo*, &c. Et ita rem, uti spero, gratam *Deo* fecit.)

§. 9. Quid insuper ejusdem operis L. 5. c. 10. cùm contra *Donatistas* contendat *per peccatorem Sacramenta celebrari posse, quomodò*, inquit, *exaudit Deus homicidam deprecantem, vel super Aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?*]

§. 10.

§. 10. De *Sacramenti* voce *Dallæo* molestus non sum, eam satis latè aliquando sumi agnoscens: Unum urgeo, æquè à baptismo oleum sejungi, ac ab utrovis *Eucharistia*, & *manuum Impositio*, sive in *pœnitentium* receptione, sive in *Ordinatione Ministrorum*.

* *L.* 11. c. 104. §. 11. Sic cum *cont. liter. Petiliani*, de *Sacramento chrismatis* loquens, de eo pronuntiat, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut ipse Baptismus.*

†*Cont. Donat. l. 5. c. 23.* §. 12. Sic & * alibi, *Manus hæreticis correctis imponitur, &, manus autem Impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti* – quo itidem loco, cum hæreticos ex eo probat *Ecclesiam* non habere, licet *baptismum* habeant, quia *Spiritum sanctum* non habent, & tamen *baptismum* habent, concludetur certè ex *Augustini* sententiâ, hanc *manuum impositionem*, quâ *Spiritus* S. *in Ecclesiâ* donatur, à *baptismo* plane divisam est.

SECT.

SECT. VIII.

Salviani & Eusebii Emisseni testimonia. Prudentii. Innotatus. Conclusio.

§. 1. PRoximo, i. e. *quinto*, sæculo accensendi *Salvianus* & *Eucherius*. *Ille inter *bona à Deo christianis assignata*, ut *sancti baptismatis Gratiam*, sic & divini *Chrismatis unctionem* recenset, quod statim *Chrisma Ecclesiasticum* nuncupat, post quod qui *omnia Dei mandata* fecerint, ad *capiendum laboris præmium vocantur ad cœlum*, ut *apud Judæos lectissimos quosque per Unguentum Regium* Deus *vocavit in Regnum*. *de Gubern. nat. Dei. l. 3. p. 68.*

§. 2. Hic autem, sive *Eusebius Emissenus*, sive *Eucherius Lugdunensis* fuerit, in *Homiliâ* de *Pentecoste*, multa de hoc Ecclesiæ ritu congessit, eumque à *descensu Spiritus S. in die Pentecostes* deduxit. *Quod nunc in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc spiritus sancti descensio in Credentium populo donavit Universis. Sed quia diximus quòd manus Impositio & Confirmatio ei qui jam renatus, qui jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis*, &c. *Quid mihi prodest, post mysterium baptismatis, Ministerium confirmantis?* &c.] Et statim, *ut Imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signat receptum,* vid. Conf. 55. p.

tum, sed etiam armis competentibus instruit pugnaturum, ita in Baptizato Benedictio illa munitio est; Dedisti militem, da etiam ei adjumenta militiæ. Et statim, *Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione Gratiam præstat ad augmentum.* Et, *in Baptismo regeneramur ad vitam, Post baptismum Confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur.* Et *Regeneratio per se salvat nos in pace beati sæculi recipiendos; Confirmatio armat & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos. Itaque ante* Descensionem Spiritus *S. Apostoli usque ad negationem detrrentur, post visitationem verò ejus, usque ad Martyrium contemptu mortis armantur.*

§. 3. Cumulum augebit *Prudentius*, Poeta Christianus, *Paciano*, & *Hieronymo* suppar; Sic autem ille in *Apotheosi*,

—Lotus procul absit & unctus.

Et contra *Symmachum*,

—Lateranas curvit ad ædes,
Unde sacrum referat regali Chrismate signum.

Et in *Hymno nocturno*, cum baptismum respiciens, dixisset,

Cultor Dei memento
Te Fontis & Lavacri
Rorem subiisse sanctum—

Addit statim,

—Et Chrismate innotatum.]

Pro

Pro *innotatum*] *Innovatum*, fateor, cum vulgatis codicibus (legit * *Baronius*, & sic) legendum contendit *Dallæus*: At illud ex conjecturâ tantùm, & ut hypothesi suæ rem gratam faciat, cùm si non omnia, certè * aliqua *Prudentii* exemplaria *Innotatum* legant. Quod autem illi durum & barbarum videbatur, ut & *Cassandro* insolens, illud ex aliis ejusdem Authoris satis commodè explicabitur. Quod enim hic *chrismate innotatum* ait, idem plane cum iis, quæ unà ex eo * *Dallæus* deduxit,

* *Ann.* 35. 16.

* *Vid. G. Cassan. Schol. ad Hym. p.* 220.

* *p.* 268.

Inscripta oleo fronti signacula, per quæ
Unguentũ regale datum est, & chrisma perenne.

Et in *Apotheosi de Juliano*,

— Ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo, &c.

Nempe *innotare* est *signum* aut *signaculum fronti inscribere*, quod cum oleo fieret († Episcopus enim *inungens, intincto in chrisma pollice, notam crucis in fronte designabat*) is certè *chrismate innotari*, æquè ac *signari* dicebatur.

† *Cassander ibid.*

§. 4. His certè multo plura apposuit *Dallæus*, dùm variè contra *Aurelium* dissereret, de *Sacramenti* voce (quâ quidem in re litem me illi non movere sæpius dixi) & *Confirmationem* meram baptismi *Ceremoniam* esse contenderet, cum tamen ritus istos toto cœlo distare, illa ipsa testimonia æquo saltem lectori abundè comprobent, quæ ille ad sententiæ suæ βεβαίωσιν studiosè conquisivit.

§. 5.

§. 5. Plura sequiorum sæculorum Testimonia non accumulo, his primævæ Ecclesiæ antesignanis hypothesim nostram, integramque *Ecclesiæ Anglicanæ* de *Confirmatione* sententiam satis superque defensam & munitam ratus, quæ ab Apostolorum exemplo hunc ritum ad nos derivatum pronuntiat, nec in eo, ut videtur lucidissimis Patrum suffragiis destituitur.

§. 6. Valeat, floreat Doctissimus *Dallæus*, & hanc breviculam Commatis unici, quod illi displicuit, defensionem, eique adjunctam simplicissimi, & Antiquissimi ritus, ut in Ecclesiâ nostrâ constanter retentus est, à primis sæculis derivati descriptionem boni consulat; veritatemque, simul ac antiquæ Ecclesiæ puritatem, & simplicitatem, non minus aliis, quàm sibi charam fuisse, modò tempestivè & sine aliorum opprobrio aut contumeliâ, ea cura geratur, illi molestum non sit.

FINIS.